









M. Tuscher fecit

CONCIONES SOLENNIUM SVPPLICATIONVM,

diebus 5.6.& 7. Martii, Anno 1600. indictarum.

* *
*

EDITÆ
à
P. J. V.

Ephes. 5.

Excitare qui dormis, & surge à mortuis: & illucescet tibi Christus.

HAFNIÆ
Ex Officina Typographica
Henrici Waldkirchii
Cum Privilegio.
1599.

Dn: Johannis Carlsen Scholer

August. lib. contra Novat.

Deus animam visitans, ipsam movet, ipsam docet, ipsi spondet veniam, si converti velit, pigritantem stimulat, & ipsi manum porrigit, semitam ostendit & mercedem promittit.

* *
*

CONCIO PRIMÆ DIEI.

TEXTVS EX APOCA- *lypsi cap.* 3.

EGO qvoſcunq; amo, arguo & caſtigo. Æmulare ergo ac reſipiſce. Ecce ſto ad oſtium tuum & pulſo. Si qvis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qvi vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & conſedi cum patre meo in throno ejus. Qvi habet aurem, audiat qvid ſpiritus dicat Eccleſiis.

CVm magistratus verè pij ac religiosi officium sit, non solum ea vniuersa ac singula, quæ ad Politiam sartam tectam conseruandam: quæué ad pacem publicam sanciendam, aut ad vitam moresvé hominum externè regendos spectant, justè ac legittimè domi & foris administrare: sed & illa maximè quæ Divini nominis cultum & venerationem, piamq; religionis curam concernunt, pervigili labore & studio, augendæ & propagandæ gloriæ Dei & salutis, cùm propriæ tùm subditorum causâ providere. Quemadmodum olim sanctißimos fecisse Reges & principes, Mosen, Iosvam, Davidem, Ezechiam, Iosiam, Iosaphatum & similes gubernatores religiosos, in confesso est, quibus nihil in vita antiquius, nil in votis magis erat, qvam se suosq; subditos, in fidem tutelamq; Dei dedere: Summo zelo ac studio puriorem de Deo doctrinam plantare & propagare: Subjectum populum, in vera observantia & veneratione nominis Divini conservare: ad officia pietatis moniis ac exemplis excitare. Tùm etiam ad placandum Deum & impensius implorandum ejus auxilium, si necessitas aliqva accideret, si DEI iram accensam, si flagella parata & in foribus plagas esse, si terrores & prædictiones, qvibus aliqvid supplicij vel infortunij sibi vel suis denun-

ciari

ciari intelligerent; summâ cum animi attentione convenerunt, Reges simul & populi ad serviendum Domino (ut dulcißimè Psalm. 102. dicitur) & maximè ad preces, privatas & publicas, in jejunio, in fletu, in lamentationibus, ilicò confugiebant, qvas sibi solas pro armis, muris, telis ac tragulis relictas habebant. Ac proinde spem totam in Deum unicum orationis suæ auditorem & adjutorem fixam indubitatamq́; locarunt.

Horum laudabile exemplum, ideo etiam hoc tempore imitatus serenißimus Rex noster, piâ veræ religionis & gloriæ Christi atq; salutis suæ & subditorum qværendæ asserendæq; curâ excitatus, supplicationes indixit publicas: Qvò per uniuersum regnum, convocatâ Ecclesiâ, inq; unum ad cultum Dei obeundum coalescentes subditi, altius præsentis seculi formam, suamq́; ipsorum necesßitatem perpendentes, pro præsentibus ac imminentibus malis, qvæ peccatis suis justè cõmeriti sunt, clementer & paternè tollendis vel mitigandis, seriò ac ardenter DEVM deprecentur.

Ad hæc etiam: ut gratâ mente ac voce, agnoscant & celebrent immensa illa beneficia, qvibus nostram hanc gentem, præ multis aliis, turbulentißimo hoc rerum omnium statu, benignè afficit Deus: dum in aliis ferè omnibus Europæ locis, grassantur ac sæviunt hostes Evangelij immanißimi,

manißimi, Turcæ, Tartari, Hæretici, Epicurei, & Blaſphemi alii, pios cœtus igni & ferro crudeliter dilacerantes & opprimentes: Nobis interea, tuta Halcyonia & Eccleſiæ tranquilla hoſpitia tribuit: dumq; in aliis orbis partibus regna plæraq; ſevißimis agitata ſeditionum procellis & ſuis penè convulſa ſedibus, Symplegadum inſtar, inter ſe concurrunt, populiq; velut oeſtro perciti, præcipites in mutuas feruntur clades: dumq; ardent funeſta apud alios dißidia, cruenta bella civilia, proditiones, rapinæ, lanienæ, ſterilitates & ſimiles calamitates, quæ vaſtitates paßim faciunt horrendas: nos interea ſine omni tali perturbatione & vertigine habitamus, (ut cum ſcriptura loqvar) confidenter, quiſq; ſub vite ſua & ficu ſua, hoc eſt, tuti & tranqvilli degimus, in domibus, agris, prædiis, freti alma pace, nec ſolum terra mariq; affluentes, omni rerum neceſſariarum ad tolerandam vitam hanc, copia: ſed & novis donis ac bonis à DEO affatim & momentis ſingulis cumulati & affecti.

Hæc (inquam) beneficia gratis nos agnoſcere mentibus par eſt, & eorundem benignißimum largitorem DEVM poſtulare: Velit ea diuturna facere, nec ſinere ob noſtra flagitia, præcipuè ob neglectum, contemptumq; ſalutis & gratiæ, lucem doctrinæ extingvi, tranqvillitatem hanc turbari, benedictionis ſuæ fontem op-

pilari

pilari, aut optimum apud nos religionis ac Politiæ statum, sursum & deorsum ferri, & ima summis misceri.

Nostrum itaq; fuerit maturè de peccatis & transgressionibus nostris emendandis, deprecandis, & per sangvinem Christi expiandis, eorundemq; reatibus condonandis, diligentius cogitare & seriò cum DEO *agere, vera animi humilitate nos coram ipso prosternere, scindentes, (ut svadet Propheta) non vestimenta, sed corda nostra:* Et *cum Ieremia confitentes, misericordias* DOMINI *esse, quod non consumpti sumus. Ita enim Spiritu* DEI *nobis cooperante, fiet, ut & religiosum* DEO *cultum præstemus & serenissimi Regis nostri edicto publico, obedientiam tribuamus debitam. Quo itaq; nobis fructuosus sit noster hic precandi labor, nec in ventum abeat, aut aërem tantùm secet oratio, facto ejus initio ab imploratione auxilii Divini, ipsum ter maximum veris & ardentibus gemitibus rogabimus: Velit mentes nostras langvidas, ab his rebus terrenis, crassis, feculentis, fluxis, caducis abstractas, ad se convertere, & cogitationes in lumine Vultus sui directas, ad res cœlestes, puras ac perpetuò salutares, considerandas, meditandas & expetendas excitare: Quò erectis per spiritum ejus, à terra in cœlum cordibus & oculis, cum certa spe & fiducia*

Ioël 2.

Thren. 3.

postulationis impetrandæ, preces in nomine filij ipsius, nostri unici mediatoris Iesu Christi sic profundamus: ut cruore ejus expiatis omnibus reatibus nostris, ipsius auxilio & virtute, oneribus sublevatis, ac periculis imminentibus sublatis, omnem ab eo favorem, gratiam, benedictionem, prosperitatem, salutemq; perpetuam impetremus & expectemus, Amen.

Textus hoc tempore ex Apocalypsi explicandus, initio nobis DEI mentem & affectum paternum ob oculos ponit, Et docet, qvanta sit ejus benignitas, cura & promptitudo in recipiendis peccatoribus. Deinde ad serium pietatis studium adq; veram resipiscentiam & DEI timorem fervidum, hortatur gravißimè, propositis præmiis in hac & futura vita cunctis fidelibus indubitatò expectandis.

Ejus partes tres sunt præcipuæ.

Prima: Qvanta Deus solicitudine pro salute nostra afficitur, Et qvibus mediis ad nos salvandos utitur.

Secunda: Qvod piorum officium, seu qvo pacto se vicißim erga illum gerere debeant, ut gratiam ipsius mereantur, et in ipsius consortium recipiantur.

Tertia: Qvod illorum præmium, qvi

pulsanti Christo ostium cordis sui sponte aperiunt, illumq; intromittunt.

De prima tantum visum est hodierna concione dicere: ut tantò diligentius & accuratius benignitatem DEI *paternam erga nos intueamur & consideremus. Absolvitur autem his verbis:*

Ego qvoscunq; amo, arguo & castigo. Ecce sto ad ostium tuum, & pulso.

EXPLICATIO TEXTVS.

OBjurgaverat in præcedentibus Spiritus sanctus per Iohannem, septem Ecclesias Asiæ minoris, & sub earum nominibus in universum omnes, vel tùm præsentes, vel postea futuras: præcipuè ob defectionem à caritate, qvam initio erga Deum & proximum declarare cœperant, progressu verò temporis, frigidiores seu remißiores factæ, minus eam exercebant. Deinde ob labefactationem sanctæ veritatis: Tùm qvod sibi videbantur vivere, hoc est, Christum in se viventem per fidem & Spiritum habere, & tamen mortui erant, alieni à vero DEI *timore & fide Christi: Deniq; ob tepidum & remissum pietatis studium. Qva de causa Ecclesiis istis pœnas minatur, & tandem eas rejectum iri & Deo detestabiles fore asserit. Ni ad*

ipsum rursus conversæ, nova pietatis atq; dilectionis opera ederent.

Cæterùm ne objurgationem hanc & DEI castigationem à malo animo profectam arbitrarentur, vel de Divinis promißionibus erga se dubitarent: aut etiam adhuc segniores in doctrinæ studio, profeßione fidei, & exercitiis pietatis, cæterarumq; virtutum (quod fieri plerunq; solet, cùm fides & spes langvescunt) redderentur: Verùm potiùs ad pœnitentiam & solita virtutum opera excitarentur, docet Dei morem & amorem esse, suos initio arguere, castigare & calamitatibus subjicere: Idq; summi illorum commodi causa, quò & puriores & meliores evadant: Quod etsi sensus mortalium non percipiunt, rei tamen exitus, evidenter idipsum probat

Quinq; autem de Deo hoc loco exprimit, ejus paternum erga nos affectum contestantia.

1. Quòd amat electos.
2. Arguit.
3. Castigat.
4. Stat ad ostium.
5. Pulsat.

Hæc quia doctrinas, admonitiones & consolationes pensiculatius disquisita suppeditant efficacißimas, nos de singulis, quod Dominus dederit, dicemus.

De

EGO) *Verba sunt ipsius Dei ad Iohannem, quod in præcedentibus testatur ipse inquiens cap. 1. Ego Iohannes audivi vocem tanquam tubæ dicentis mihi: Ego sum α & ω primus & novissimus. Item cap. 2, Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis & pedes similes aurichalco.*

Hæc igitur non aliter, quàm ab ipso Deo pronunciata, accipienda sunt: Ac proindè attentius ea considerare, iisq; fidem habere convenit.

Quoscunq; amo.

Initio nos ad fontem & principium salutis nostræ ducit: amorem *nempè Dei immensum, quo electos & fideles suos liberalissimè & perfectissimè prosequitur.*

De hoc amore, quo in genus humanum deperit DEVS, *duo sunt consideratu utilia & necessaria.*

Primùm: Origo, initium & principalis causa, quæ non in nobis, sed in Deo est: Is etenim priusquam essemus, dilexit nos & elegit in Christo, ante jacta mundi fundamenta, neq; minus postea, cùm inimici ipsius essemus, lapsu peccati inquinati & penitus corrupti, cùm homo in vanitate mentis suæ versaretur, cogitatione habens obscuratam & abalienatam à vita Dei, propter ignorantiam, Rom. 5. Ephes. 2. Coloss. 1.

quæ est

quæ est in eo; ex obduratione cordis, cui, quasi ingenitum DEI odium erat, nec qvidqvam nisi qvod ipsi displiceret, appeteret, ac propterea nil præter iram & perpetuam damnationem commeritus: Gratuita tamen sua dilectione eum prosequi non destitit, sed filium suum unigenitum pro eo tradidit, sicut ipse Christus Iohan. 3. testatur, & apostolus Iohannes interpretatur cum inqvit In hoc apparuit charitas DEI erga nos, non qvod nos dilexerimus Deum, sed qvod ipse dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris. (1. Ioh. 4.)

Hujus amoris & favoris sui fontem aperit adhuc qvotidiè eoq; exhilarat civitatem Dei, ut Psalm. 46. dicitur & animas sitientes, cœlesti ac æterno liqvore perfundit & recreat.

Deinde, *consideranda etiam piis sunt, magnifici hujus, ingentis & inexplicabilis amoris argumẽta & indicia luculentissima, qvæ nobis qvocunq; oculos mentis vel corporis convertimus, occurrunt, qvorum hæc sunt præcipua.*

I. Electio *nostra ad vitam salutemq; perpetuam, priusqvam mundus hic crearetur, Idq; in Christo, qvi verus ille liber vitæ est, in qvem adscripti, in cœlis olim cum ipso regnabunt & glorificabuntur.*

II. Creatio, *qvod nos ad imaginem suam ita condiderit, ut è terra creato corpori animam infude-*

infuderit rationalem, salutis æternæ capacem. Tùm etiam qvòd mundi machinam qvanta qvanta illa est, propter hominem condiderit: nec solum creaturas terrestres omnes, ejus imperio subjecerit, sed etiam angelos ministerio electorum suorum destinaverit.

III. Qvòd generi humano propria culpa inqvinato & damnationi perpetuæ obnoxio, filium qvem sibi carißimum habuit, & qvo nihil in rerum universitate nobilius, miserit, qvi amissam salutem, mortis suæ meri to restitueret.

IV. Qvod ex corrupta generis humani massa, Ecclesiam sibi colligit, per verbum & sacramenta & in eam gratiæ & sapientiæ suæ thesauros, summa cum liberalitate erogat.

V. Qvòd largitur Arrhabonem Spiritus, per quem nos salutis nostræ certos facit, cujus etiam nos donis & gratiis ornat & amplificat. 2. Cor. 1.

VI. Qvòd nos miseros tot maculis sordidos, tot iniqvitatibus pollutos, tot periculis obnoxios, qvotidie abluit, fovet, tuetur, conservat.

VII. Qvòd non fideles & pios duntaxat, sed & reprobos ac malos incredibili bonitate suffert, atq; momentis singulis, beneficiis accumulat infinitis: facit enim solem suum oriri, super malos & bonos. Matth. 5.

VIII. Qvòd liberat à morte & ærumnis, dùm nos superiores facit omnibus hostibus nostris corporalibus & spiritualibus, Ioh: 14. 1. Cor. 15.

IX. *Quòd resuscitabit in extremo die & in vita cœlesti glorificabit electos.*

Ex his aliquo modo, amoris Divini excellentiam & amplitudinem, quam nullius hominis mens æstimare, nec lingva pro dignitate explicare potest, considerare pios aliquo modo posse, existimo.

Docemur inde, ut hoc salutis nostræ unicum principium & fundamentum solidissimum, diligenter teneamus: cujus fiduciæ, qui nixus fuerit, is demùm veram consolationem in corde sentiet, & in omni tentatione, saluis spem inconcussam, ac tandem victoriam gloriosissimam retinebit perpetuò, Rom. 8. Quis nos separabit à caritate DEI? *&c.*

Præterea, nobis etiam, qui filii Dei censeri volumus, hunc imitandum proponemus, ejusq́; exemplo, cùm ad ipsum reciprocè, tùm ad proximum spontè diligendum pertrahamur. Et licet ad ejus perfectionem mortalium nemo ascendere potest: ultima tamen sectemur vestigia: Vt ex hac nota dilectionis infallibili, pro veris & germanis Dei filiis agnoscamur: juxta mandatū Apostoli Eph. 5. Sitis inquit imitatores DEI *tanquam filii dilecti, & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos &c.* Ioh. 15.

II. Arguo.

Cùm hominis cor dolosum, profundum & imper-

inperscrutabile sit, Ierem. 17. Et sæpè fucum non solùm hominibus, sed & Deo facere molitur: Vt qui gravißimè sæpè deliquerunt, scelera sua tegant, occultent, defendãt: sicut Caïn Gen. 4. Acham Iosv. 7. Ananias & Saphira Act. 5. Iudas Matth. 26. Sunt & qui sibiipsis in malitia sua, delicias faciant. Ideo Dominus, qui corda scrutatur, & renes explorat, paternũ etiam suum erga nos affectum hac ratione declarat: Quòd antequam commeritas pœnas infligat seu castiget verberibus, prius arguit verbis, admonet, reprehendit, conscientias penetrat, occulta cordis detegit, hypocrisin monstrat, & certis ac evidẽtibus rationibus adversarium efficaciter & confidenter, (id n. significat vox forensis ἐλέγχειν hoc loco usurpata) convincit. Quò intra animum suum propriæ conscientiæ testimonio convictus, se in errore esse, omnem in semetipso mali causam hærere & pœna dignum esse videat & fateatur. Sic Nabochodonosor concione Prophetæ, Dan. 2. cõvictus procidit in faciem exclamans: Verè Deus vester, omnium Deorum excellentißimus est, & Dominus regum scrutans arcana. Act. 2. Iudæi sermone Petri ἐλεγκτικῷ convicti, salutis consilio ab ipso postulato baptizati sunt & Christo nomina dederunt. Sic Christus Nicodemum arguebat ignorantiæ: primatem incredulitatis: Discipulos stoliditatis, σκληροκαρδίας καὶ ἀπιστίας. &c.

Ioh. 3. Ioh. 4. Luc. 24.

Hunc

Hunc etiam morem & ordinem in nobis corrigendis & ad se vocandis, hodie adhibet Dominus. Primùm enim increpatione per verbi sui ministros utitur, qvi arguendo, docendo, monendo, hortando, minando, ingenitam corruptionem & peccandi consvetudinem monstrare hominibus & mentibus eximere student. Et licet multi hæc omnia præfractè contemnant: eosdem tamen gladio oris sui ita ferit & jugulat, ut velint nolint, sua peccata & Dei justiciam agnoscere, seq; fulmine verbi Divini tactos & vulneratos esse fateri cogantur.

Ezech. 33.
2. Tim. 4.

I. Ostendunt hæc primùm, Deum, qvamvis offensum, tantæ esse clementiæ & bonitatis, ut anteqvam flagella immittat & pœnas commeritas infligat: admonitiones & minas, instar boni & mitis patris adhibeat: non ut vanum terrorem hominibus incutiat, aut μορμολύκιον aliqvod terribile simulet: Sed ut homines territi, perpendant & effugiant miserias impendentes, qvemadmodum Amos 3. dicitur. Non faciet Dominus Deus Verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.

II. Opus Spiritus sancti esse in Ecclesia, per ministerium Verbi, (qvod teste apostolo Vivum est, qvovis gladio ancipiti penetrantius, pertingens usq; ad divisionem animæ simul & spiritus, compagumq; ac medullarum) homines ut

Ioh. 16.

dixi

dixi ante omnia in suam ipsorum cognitionem deducere: ita intra mentem arguere, ac conscientias penetrare: ut non solùm peccata sua agnoscãt, sed & sentiant se miseros esse, mortis, iræ & damnationis reos: & ex adverso imminentis miseriæ & perditionis magnitudine intellecta, de salute sua magis soliciti reddantur & medicinam in tempore adhibeant.

III. Admonentur etiam verbi ministri, ut seriò & cum παῤῥησίᾳ officii sui partes obeant, intrepidè arguendo auditores suos: Ad DEI tribunal, si contumaces fuerint, eos citando: peccatis larvam detrahendo: suumq́ ministerium ita exercendo: ut in animis, operante Spiritu sancto, aculeos relinquant: Quò de se dici, se dignè argui, se justè damnari intelligant, & tandem hoc modo ad pœnitentiam adducti, se CHRISTO spontè subjiciant. Mandat id Dominus servis suis apud Esaiam cap 58. Extolle ut tuba vocem tuam, dic populo meo prævaricationes suas. Ezech. 18. 33. 2. Tim. 4. Argue, objurga, tempestivè & intempestivè, cum omni mansvetudine & doctrina.

Erit hic etiam hodiernæ admonitionis & redargutionis nostræ scopus, quem auditoribus, præcipuè obstinatis, monstrare conabuntur omnes sinceri ministri verbi: Vt vel DEO spontè cedant,

dant, vel inviti & reluctantes, damnationis sententiam justè in se recipiant.

Auditoribus patienter admittendas & æquo animo ferendas esse salutares eorum correptiones & admonitiones, qui vice Christi, legatione fungentes, pro salute illorum excubant: & caveant ne reluctentur propriæ suæ conscientiæ, si quando ea voce ministrorum excitata, scelerum suorum illos convincere incipiat: Aut crudelius aliquid in ipsos monitores statuant, cum Achabo, Hieroboamo, Herode, Pharisæis & similibus piorum ministrorum persecutoribus: Quinpotius cum Davide, Ezechia &c. fateantur se evidentia rei convictos, deplorent injusticias, veniam petant, detestentur & abjiciant scelera, & in timore Dei postea vitam transigant. Percutiat me justus & increpet me & erit oleum super caput meum.

Eccles. 7.
2. Sam. 12.
2. Reg. 13.

III. Castigo.

Tertium, quo Deus vim paterni affectus sui, erga electos exprimit, & tanquã peculiari medio ad eos salvandos utitur: παιδεία est, seu castigatio paterna, eaq; talis quæ ad pueros pertinet, qui non ferro, aut fuste, sed virga sunt corripiendi, ad emendationem ipsorum.

Quia n: divinas admonitiones, quæ verbis fiunt & è quibus emendari meritò oporteret, multi in externo cœtu Ecclesiæ, surda aure prætere-

unt:

unt: multi difficulter admittunt: multi ad se nihil pertinere arbitrantur; Ideo talibus quodammodo, per afflictiones manum admolitur Deus: ut vel invitos verberibus castigatos ad se cogat & pertrahat. Respicit spiritus sanctus ad verba, quæ extant proverbior. 3. quæ etiam ab autore Epistolæ ad Hæbreos cap. 12. In hunc ipsum sensum citata exstant: correptionem (inquit Salomon) Iehovæ, fili mi ne abjicias & non tædio afficiaris propter increpationem ejus: Quem n. diligit Dominus, castigat, veluti pater filium, quem intimè amat.

Repetit eadem Apostolus loco citato, cùm ait: Ne negligito, fili mi, castigationem Domini, neq; remissus esto, cùm ab eo argueris. Quem enim diligit DOMINVS, *castigat, & flagellat filium quemcunq; recipit. Si castigationem sustinetis,* DEVS *se vobis offert ut filiis. Quis enim est filius quem non castigat pater? quòd si estis absq; castigatione, cujus participes sunt omnes: spurij estis, non filij.*

Hanc concionem, etiam hoc loco, adducit spiritus sanctus, ad excitandam in nobis pœnitentiā, ad spem piorum confirmandam, eorumq; in rebus adversis tolerantiā stabiliendam: ne unquā fracti animis, succumbant ærumnis: quinpotius æquo animo ferant afflictiones, si eas immittat Deus; eò quòd sint signa paternæ benevolentiæ erga fideles.

Tùm etenim hac ratione ad agnitionem peccati, eos invitare, carnem corruptam mortificare, & totum hominem ad meliorem vitam præparare, contendit.

Quàm autem hoc fieri necesse sit, docet ipsa naturæ nostræ imbecillitas, quæ prona est ab origine sua in malum, Genes. 6. & 8. & Salomon: Malitia (inquit) colligata est in corde pueri, sed virga disciplinæ fugabit eam. Prov. 22.

Postulat igitur hoc ingenij nostri corruptio, quæ aliter domari aut coherceri nequit. Quando enim DEVS *(ut suprà monui) verbis nos docet, docentem non audimus: quando monet, monentem spernimus: si per ministros increpat, indignè ferimus: si longanimitate utitur, ea turpiter abutimur: si minatur, ridemus: illud in ore habentes quod impii isti apud Esaiam cap. 28. Flagellum in undas cùm transierit, non cadet super nos. Quinimò illi quos* DEVS *sæpenumerò tenerrimè diligit, gravius ex infirmitate labuntur: ut in Davide, Petro & aliis videre est. Cogitur igitur patres* φιλοςόργυς *imitari, qui filios contumaciores, severiore interdum disciplina, corrigunt: ut in viam reducantur & meliores efficiantur. Sic & electos, quos præordinavit conformes imaginis filii sui fieri, non interna modò objurgatione, sed & externa afflictione corripit: ne*

malè

malè pereant: postquam verò percußit, lenit pœnas & solatia præstat.

Crux ergò æquè necessaria est ad nominis DEI timorem in animis nostris continendum, quàm promißiones ad spem alendam, confirmandamq;.

Verùm ex his emergit carni aliqua repugnantiæ species, tanquam extremè contraria, hic de DEO dicat Apostolus: Si, inquit, suos primùm ut pater benignus amat DEVS, cur postea ut vindex severus eosdem pæna afficit? Hoc enim odii, illud benevolentiæ signum est manifestißimum. Hic piis considerandum, non quod caro, quæ ejus est impatientia, obstrepit aut obmurmurat: dum paßionum æstimationem, in vita præsenti, intendit & exaggerat: sed quod Spiritus sanctus, paßim in scriptura judicat & pronunciat de DEI affectu erga nos: Qui alienum sæpè opus facit, ut proprium faciat. Esa. 28.

Possent hic considerari causæ calamitatum, quas (ut in pauca rem conferam) omitto. Tantum hîc notandum discrimen afflictionum electorum & reproborum, quæ etsi utrisq; communes sunt, longè tamen diversa ratione immittuntur. Piis enim παιδεῖαι sunt, quibus (ut Paulus loquitur) omnia cooperantur in bonum: hoc est: Pii in suam ipsorum utilitatem, ex amore castigantur divinitus: Vt à labe, quam con- Rom. 8.

 traxe-

traxerunt, emundati, excitentur ad pietatem & in timore DOMINI contineantur: sicut alibi testatur apostolus, dùm ait: cum judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo condemnemur. Et Psal. 119. Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas. Item August. Sermon. 28. DEVS (inquit) terrenis felicitatibus amaritudinem admiscet: ut aliam felicitatem, quae minimè fallax est, quaeramus.

Job. 5.
Ierem 31.
Item. 46.

Impiorum verò correctio, consummatio est: in ea enim se exerit ira DEI: neq; hi ejus consilium norunt, sed ex furore tantum & indignatione DEI plagas immissas putant in perniciem suam. Quapropter ad flagella divina fremunt & obdurantur magis magisq;, ut Pharao, Exod 9. Dum electi ad correptionem emendantur & salvantur, ut David, Ezechias & alij.

I. Hinc patet primùm, nihil nobis in vita, fortuitò aut temerè accidere posse, sed certo DEI consilio & judicio adversa immitti: Ego (inquit) castigo, In omni igitur afflictionum genere, DEVM autorem illarum faciamus: hac enim persvasione non modò patientes reddimur, sed etiam sustentamur, ne circa vana & impia consilia occupemur, vel causis secundis, quod solius DEI est, temerè ascribamus, quasi vel fortuitò accidant, ut Seneca Tragicus, ait:

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitq; manu
Munera cœca, pejora fovens.

Vel quod impiis, aut illorum principi diabolo, tantum juris in nos sit, ut pro suo arbitrio in capita nostra grassentur. Horæ, *inquit Christus*, Ioh. 11. *duodecim sunt: nec quicquam nobis ante horam, à Deo constitutam, accidere potest, capilli capitis vestri numerati sunt: Ipsum itaq; Deum suo quodam beneplacito electos suos sub cruce exercere ad salutem illorum, piis cum Davide statuendum est, Psal.* 68. DOMINVS *quotidiè onus nobis imponit & tamen est salus nostra, & penes* DOMINVM *sunt evasiones ex morte.*

II. *Docemur, quid de cruce judicandum sit, si ea nos exerceat Deus: quòd videlicet castigationes nequaquam hostilis, aut irati animi, in Deo, indicia sunt: sed paterni ejus amoris erga nos testimonia. Quemadmodum Tobiæ cœco dixit Angelus Raphaël: Quia acceptus eras Deo: Ideo necesse erat ut tentatio probaret te. Si quando igitur premimur cruce, si injuria, si contumelia afficimur, si peste, si fame & inopia, si morbis, febri, dysenteria (qualis nunc passim ob cruenta nostra delicta, grassatur) si bello aut aliis flagellis corripimur: animos his præsidiis munitos habebimus,*

Tob. 12.

haecq; spe fixa & constante, adversus omnia dura & acerba fata, nos palmæ instar erigere & confirmare debemus.

III. Castigationes nobis utiles esse, neq; minus beneficiis divinis salutares: Vt quæ medicinam animæ faciant, & ad melioris vitæ studium excitent. Tanta enim est nostra (ut dixi) contumacia, ut Spiritus imperium prorsus excutiat: nisi crucis jugo subindè prematur, & veluti freno quodam constringatur, ne in scelera effusißimo cursu præceps feratur. Si ergo irascitur, nos paternè castigare intendit: si succenset, officii admonere: si minatur, in viam reducere: si flagellat, emendare cupit Dominus.

Ideo D. Bernhardus, DEI amorem, virgæ Mosis in serpentem conversæ, coram Pharaone comparat, quæ magorum serpentes devoravit. Sic (inquit) DEI amor, qui virga est & baculus, quibus consolatur nos, Vertitur sæpè in serpentem, electos mordentem: Vt carnales affectiones, delectationes pravas, concupiscentias malas absorbeat. Videre hoc est in multis, quibus suæ molestiæ & ærumnæ, incitamento fuerunt ad resipiscentiam & tanquam stimuli, quibus urgebantur, ut in ægritudinibus vel incommodis aliis ad medicum Christum confugerent, ejusq; opem implorarent. Qui nisi forsitan ea occasione impulsi & adacti fuissent,

Psal. 23.

nunquam

nunquam ad illum pervenissent. Exemplo erunt Mulier Cananæa, Regulus Capernaita, Barthimæus cœcus, Iairus, Leprosus & alij.

IV. Ad afflictiones & varias crucis formas oppetendas, paratos & instructos pios semper esse oportet. Quò tantò alacrius & majore cum patientia ac gaudio, castigationes Divinas accipiant: juxta illud Siracidæ cap. 2. Fili (inquit) si tu instituisti servire DEO, fac animum tuum ad tentationem præpares: Dirige cor tuum, ac tolera & in tempore incursionis ne festines: adhærescas ei & ne desciscas: ut extremo tempore amplificeris. Quicquid tibi acciderit, libenter suscipe, atq; in commutatione afflictionis tuæ, patientiam habe: Quoniam aurum igni probatur, & homines probabiles in fornace afflictionis.

Idem & Paulus visitans Christianos Lystræ & Iconij vult, cùm inquit: Act. 14. Per multas tribulationes &c. Item 2. Tim. 3 Qui volunt piè vivere in Christo IEsu, persecutionem patientur. Si verò aliter DEO visum fuerit, ipsius clementiæ, qua nobis parcit, acceptum feramus.

Psal. 75.

V. Quemadmodum ærumnæ & pressuræ piorum, amoris: sic iræ DEI & perditionis gravissimæ signum est, si peccatorem perpetuò prosperari, & ad libitum suum impunè peccare, permittit Dominus. Dimisit inquit Psalmista eos

Psal. 81. secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Et Hoseas, præsentem DEI ultionem dicit, quando non irascitur. Quapropter Apostolus eos vocat spurios, qui absq; castigatione vivunt, ac propterea neq; ad societatem hæreditatis cœlestis admittentur. Verè igitur & piè exclamat Tertullianus lib. de patientia, ô beatum servum cujus emendationi DEVS instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione DEVS non decipit. Item Augustinus in psal. 98. Illi DEVS irascitur, quem peccantem non flagellat: nam cui verè propitius est, non solùm condonat peccata, ne noceant ad futurum seculum: sed etiam castigat ne peccare delectet.

Tu proindè misericors Domine, hîc ure hîc seca: modò æternùm parcas nobis.

IV. Ecce sto ad ostium.

Quartus modus, quem Deus adhibet ad nos vocandos, hac voce exprimitur. Particula Ecce ut aliâs δεικτικῶς seu demonstrativè, rem singularem & magni momenti significat, ad excitandam in animis hominum attentionem: Ita hoc loco, alacritatem & promptitudinem DEI parati, se in nostrum obsequium offerre, nobis succurrere & ministrare denotat. Sensus igitur verborum est: Considera ô homo: si ego in tua salute curanda, negligens aut deses fuissem: posses aliquam excusationem prætendere, & negligentiæ

tuæ

tuæ prætextum facere : sed cùm officio meo nunquam defuerim , te amando , arguendo , paternè castigando , præ foribus cordis tui expectando & identidem pulsando : contumaciæ & socordiæ tuæ propriæ adscribas, si à mea gratia exclusus maneas. Ego enim tanquam hospes à te exclusus ante ostium tuum , longas faciendo moras , præstolor: ut tandem excusso securitatis somno,exurgas,mihi aperias & in contubernium tuum, me recipias.

Per ostium itaq; , ipsum cor hominis intelligit, quod sibi omnino patere vult Dominus,ut regnum suum in eo auspicetur. Præterea etiam hac voce ostendere vult , media, instrumenta , occasiones & commoditates agendæ pœnitentiæ , perveniendi ad Deum ,ipsum placandi & consequendi salutem quàm paratissima , & veluti præ foribus esse : Vtpotè DEI verbum , Sacramenta & meritum Christi, auxilium Spiritus sancti, opportunitatem temporis gratiæ,præsentiam Dei in tribulatione , exauditionem precum & similia, in quibus præsens est Deus ad succurrendum nobis. Vnde Paulus Rom. 10. Ex cap. 30. Deut. Non dicas, quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere : aut quis descendet in abyssũ ? hoc est Christum ex mortuis reducere : sed quid dicit, propè est verbũ meũ,in ore tuo et in corde tuo etc Item, Præsens sum, quia omnia impleo & nullibi desum. Apoc. 2. Ecce dedi apertũ coram te ostiũ. Ierem. 23.

hinc

hinc dicitur Spiritus sanctus à Christo Ioh. 10. *ostiarius, quia per veritatis cognitionem ad Christum ducit quotquot ei aperiunt, eumq; benignè admittunt.*

Stare igitur ad ostium, *est perpetuò paratum esse & præ foribus cordis nostri præstolari, durare, vigilare ad excitandum & salvandum nos.*

Deindè, blandè & comiter invitare, etiam eos, qui securitatis veterno consopiti sunt.

Tertiò significat, solicitam & intentam curam, vehementem & anxiam moram, qua de die in diem expectat, ut ad meliorem mentem reversus homo, è peccati somno evigilet.

Proponitur *itaq; hîc, illustre testimonium præsentiæ filij* DEI *in Ecclesia: quòd nobis semper præstò est, salutem nostram curat aßiduè, omnia nostra intuetur, neq; nos unquam deserit: juxta promißionem* Psal. 91. Matth. 24.

Secundò, testimonium promptitudinis ejus ad salvandum nos: dùm in singula momenta, paratus est nos excipere. Matth. 11.

Tertiò, *Salutaris moræ seu longanimitatis* DEI *jndicium: quod de die in diem* Stat, *& expectat conversionem nostram, nec subitò iræ suæ fulmen in nos immittit: sed tardus ad iram, peccatoribus spacium ad conversionem concedit.* Lucæ 13. *Rom.* 2. *Esa.* 30. Ideo *exspectat*

Psal. 103.

exſpectat DOMINVS, ut veſtri miſereatur Apocal. 2. Dedi ei tempus, ut pœnitentiam ageret. Abſit igitur, ut hujus tolerantiæ & lenitatis divitias, in ejus contemptum, in peccandi licentiam profanam, in ſecuritatem & noſtram ipſorum condemnationem, convertamus: dicentes cum ſervis iniquis, Luc. 12. Tardat Dominus venire. Item: Vbi eſt pollicitatio adventus ejus?

V. Pulſo.

Quintum & ultimum induſtriæ & ſolicitæ curæ DEI, ad nos excitandos & ſalvandos, indicium & teſtimonium certiſſimum. Oſtendens DEVM non ſolùm ad cordis noſtri januam erectum ſtare, & perpetuò paratum eſſe, ad nos amplexandos: ſed & pulſare, id eſt, movere, impellere, ſummo cum labore & induſtria ſibi aditum & ingreſſum ad nos præparare: Vt à nobis receptus, nos viciſſim in bonorum ſuorum communionem recipiat.

Huc ſpectat inſignis ille Dialogiſmus inter CHRISTVM ſponſum & ejus ſponſam Eccleſiam, qui eſt Cant. 5. Audita (inquit ſponſa) eſt vox dilecti mei, pulſantis oſtium meum, & dicentis: Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: intromitte me & fove me: Caput meum rore plenum eſt, & cincinni mei pluvia. Cui reſpondet ſponſa ſomnolenta:

enta: Depoſui tunicam meam, quomodo rurſus induar ea? Lavi pedes meos, quomodo rurſus inquinabo eos (ſurgendo ſcilicet & te intromittendo.) Excluſus ſponſus, ingreſſum ſibi parare volens, immittit manum ſuam per foramen, tangit ſponſam & viſcera ejus tremuerunt.

Tandem poſt longas moras, declinat ſponſus & tranſit ipſa torpente & tardante.

Poſt verò, cùm ſponſa, remoto peſſulo, januam aperuiſſet, & abſentem animadvertiſſet: quærit eum, vocat eum: ſed non reſpondit.

Interea cuſtodes civitatis invenerunt eam, in platea, percuſſerunt, vulneraverunt eam, & abſtulerunt pallium ejus, & tractarunt eam crudeliter, &c.

Hac pictura docere vult Spiritus ſanctus, quanta ſolicitudine, DEUS ſalutem Eccleſiæ ſuæ quærat: dum aſsiduo pulſu eam excitare, ſibiq; ingreſſum parare molitur.

Pulſat autem his modis:

I. Externè, *per verbum: Audita eſt (inquit) vox dilecti mei pulſantis oſtium. Ea autem: vel Legis eſt, quæ certam voluntatis divinæ declarationem continet, nos aſsiduè arguens, monens, terrens: Vnde à Ieremia malleus conterens petram dicitur, quòd maledictione & ſententia damnatoria, corda ſaxea ferit, tundit,*

Cap. 23.

impe-

impetit. Vel Evangelij blanda voce & promißionibus ad se allicere studet: dum se totum & bonorum suorum communionem illis offert. Quocirca eam nominat Amicam suam, sororem, columbam, immaculatam suam. Dicit caput suum rore perfusum & cincinnos pluvia: per quod, refrigerium in se inveniri, seq; dulci irrigatione & refocillatione Evangelij, animos perfundere & recreare velle, adversus æstum tentationum & iræ divinæ ostendit.

II. Internè, per spiritum suum, moventem cor & mentem nostram, quod sibi etiam evenisse sponsa fatetur dum ait: Tetigit viscera mea & commota sunt præcordia. Ea sanè vis est admonitionis spiritus sancti, ut nos totos, si ex Deo sumus, intrinsecus, moveat.

III. Per beneficiorum collationem, allicere nos studet. Digiti (inquit) stillant myrrham, id est, ornat Ecclesiam benedictionis suæ pinguedine, & svavitate gratiarum omnium atq; donorum suorum eam accumulat. Psalm. 128. Benedictus es & bene tibi erit.

IV. Per adversitatum exercitationem & judiciorum suorum declarationem. Dilectus (inquit) meus abierat & transierat, anima mea liquefacta est, quæsivi eum & non inveni: Invenerunt me custodes civitatis, percusserunt me, vulneraverunt me, abstulerunt peplum meum.

Hoc

Hoc est, Deus ob nostram socordiam & somnolentiam (de qua suprà) nos cruce exercet, opem suam differt, et à nobis planè suam sæpè subtraxisse præsentiam, videtur: quò nostram fidem, invocationem, spem, patientiam etc. excitet. Sinit etiam nos à custodibus civitatis circitoribus, diabolis, tyrannis, falsis doctoribus: Item à vigilibus statiariis, carne, mundo, peccato, maledictione legis, et similibus hostibus generis humani tentari et exagitari, qui non corpus solùm, sed animam affligunt, conscientias vulnerant, vestem salutarem, qua prius amicti eramus detrahunt, puritatem et sinceritatem doctrinæ, justiciam, tranquillitatem cordis, gaudium spiritus, consolationem et similia dona, quæ antea ignavè torpendo fastidivimus, auferunt.

Psal. 14.
1. Pet. 5.
Iob. 1.

V. Tandem etiam pallida mors æquo pede Pulsat *pauperum tabernas Regumq́ turres: quando fatalis illa hora advenerit, nobisq́ ex hoc terrestri domicilio, seu potius ergastulo migrandum est.*

His modis præcipuè, januam cordis nostri pulsat DEVS*, volens nos excitare et ad se vocare. Nostrum interea fuerit cavere, ne incurabili socordia et somnolentia ipsum repellamus et extra fores relinquamus.*

I. *Docent hæc, Deum non esse perditionis humanæ causam. Etenim nulli is studio, nulli labori*

vel

vel industriæ parcit, quò nos excitet, erigat & ad se recipiat: quinimò, gratia sua prævenien-te, nos præoccupat, & in singula momenta ad excipiendum nos se expedit: modò nos faciles & convertibiles præbuerimus. Testatur hoc ipse Prove. 8 Sapientia (essentialis scilicet Christus) præoccupat eos, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, qui de luce vigilant ad illam: Ezech. 33. 2. Pet. 1. 1. Tim. 2. DEVS vult omnes homines salvos fieri.

II. Hîc etiam se prodit cordis nostri durities, quod nisi aßiduo pulsetur & tundatur ictu, clausum manet & contumax, ideò non immeritò, à Ieremia dicitur cor saxeum. A Zacharia cap. 7. Adamantinum, quod vel nunquam vel difficulter cedit ictibus. Ierem. 23.

Quia igitur duri & socordes natura sumus, & securitatis somnus mortalibus sæpè obrepit: Ideò cavendum piis, ne ab eo se obrui patiantur, aut spiritui sancto obluctentur: Sed amore & reverentia filiali excitati, DEO obsequium præstent, & CHRISTVM pulsantem cum gaudio excipiant: Quò tandem eos in contubernium suum cœleste translatos, omnibus bonis suis præficiet: Ipsi gloria in secula,

Amen.

*

CONCIO SECUNDÆ DIEI.

TEXTVS EX APOlypsi cap. 3.

ÆMulare ergo ac resipisce. Si quis aperuerit januam: Si quis audiverit vocem meam: Qui vicerit, &c. Intrabo ad illum & cœnabo cum illo, dabo ei sedere mecum in throno meo. Sicut & ego vici, & consedi cum patre meo in throno ejus. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

HEri ante oculos posuimus DEI paternum erga nos affectum, eaq; recitavimus media, quibus utitur ad nos, velut langventes & torpentes excitandos & ad se pertrahendos.

Quid nostri vicißim sit officij, docet hac concione Spiritus sanctus: monstrans quàm necessarium sit providere, ne alto peccatorum & carnalis securitatis somno obruti, ad pulsum istum.

istum (de quo suprà monuit) obsurdescamus & similes efficiamur obstinatis, qui neq; blanditiis, neq; terroribus commoveri, aut eò adduci possunt, ut pulsanti DOMINO *ostium cordis sui aperiant, eumq; tanquam benignum hospitem excipiant : de quibus* CHRISTVS *dolens super perditionem Hierusalem conqueritur Matth. 23. Quoties volui te congregare sicut gallina pullos suos, sub alis suis : & tu noluisti. Item Matth. 11.* Luc. 19. *Tibia cecinimus vobis & non saltastis : Lamentati sumus vobis & non planxistis. Modum itaq; præscribit hac concione expeditissimum, omnibus iis observandum, quibus tàm præsens quàm futurum periculum declinare & judiciorum Divinorum (quorum nunc passim signa apparent indubia) severitatem, à suis capitibus avertere animus est : Hunc nempè, ut absq; simulatione tempestivè ad* DEVM *conversi, resipiscant, Christum sibi spontè occurrentem suscipiant, vocem ejus audiant, strenuè adversus hostes suos militent & constantes in finem usq; perseverent. Ea quippe ratione* DEVM *placabilem & tanquam liberalissimum hospitem, super omnia bona sua electos constituentem experientur.*

Loci erunt duo posteriores suprà consignati.

I. Quomodo piorum vitam compa-

ratam esse oportet erga Deum, adeò solicitè salutem eorum sitientem, & quærentem.

II. Quod illorum præmium, qui Christum ante fores cordis excubantem, benignè intromittunt & recipiunt.

DE PRIMO.

Æmulare ergò ac resipisce.

INfert Iohannes exhortationem hanc à præcedentibus, cujus argumenta ab ipsa promptitudine Dei (de qua heri) tùm à piorum officio, à facilitate & utilitate desumpta sunt, quæ ordine videbimus.

Primùm, inquit, Æmulare, Ζήλωσον: *Ad pleniorem hujus vocis intelligentiam, necesse est considerare ea, quæ suprà hoc ipso capite ad Laodicenses scripsit Apostolus, arguens eos, quòd neq; fervidi essent, hoc est, tales, qui vera & ardente fide, doctrinam Christi amplecterentur, & voce ac vita eandem profiterentur: neq; etiam frigidi, hoc est, qui palàm faterentur se alienos à fide & religione: sed tepidi: id est, simulati & ficti: qui vana pietatis specie externè palliati, & inani religionis professione turgidi, hypocriticè cum Deo agerent. Et quamvis intus fide & caritate vacui, nullos excitatos & ardentes motus veri timoris Dei in corde haberent: de justicia tamen*

& participatione Christi gloriabantur. Quales non paucos inter nos hodie reperire est: qui pietatis & religionis obtentu, scelera sua palliant, & populariter de justicia & fide gloriantes, simulant ardens pietatis studium, atq; illud magnificè deprædicant: Frigidè intereà circa rerum divinarum studia & desideria occupantur, nec ullum in via salutis progressum faciunt. Sunt hi de quibus CHRISTVS *Matth.* 15. *loquitur, quòd lingva ipsum colunt, cor autem illorum longè abest ab eo. Et Paulus ad Tit.* 1. *tales insectatur, qui verbis profitentur se nosse* DEVM, *factis negant. Item Iohannes* 1. *Epist.* 3. *inquit, lingva fratres suos diligunt, opere & veritate oderunt.*

His opponit Zelum *seu æmulationem, hoc est, verum, ardens & indefessum studium colendi* DEVM, *quo accendi & flagrare debent, quotquot de* CHRISTI *salutifera gratia & nomine gloriantur.*

Spectat igitur hæc vox ad excitandos & confirmandos singulos fideles in cursu sanctæ vocationis & pura fide Christi: ut animo vero & sincero Christum excipiant, colant, venerentur eaq; tantūmodò, quæ solius Dei sunt, concupiscant: atq; è diverso omnia illa odio prosequātur, quæ DEO *contraria sunt, & sibiipsis impedimento, ne suum illud salutis bonum assequantur eoq; perfruantur.*

Præoccupatum itaq; & implicatum aliis studiis, opinionibus & persvasionibus animum, ut puta hypocrisi, simulatione, flagitiis, peccandi libidine, curis secularibus &c. timor DEI verus declinat: eò quòd Satanæ, carni, terræ, rebusq; terrenis, fluxis & fallacibus affixus hæret, quibus à cœlo in infernum devocatur. Et sicut misceri non possunt frigida calidis, quin tepor inducatur: sic neq; spiritualia corporalibus, summa imis, vera vanis, nisi de timore DEI & sinceritate animi erga illum, plurimum remittatur, & tandem in fumos abeat & apud tales evanescat omnis religio. Non enim pariter sapere posse hominem & quæ DEI sunt, & quæ mundi, docet CHRISTVS Matth. 6. & Paulus 2. Cor. 6. Quæ (inquit) participatio justiciæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci cum tenebris? Quæ convenientia CHRISTO cum Belial? Qui ergo cum Christo non colligit, dispergit.

Luc. 11.

3. Reg. 18.

I. Falluntur ergò, & re tota falluntur, qui utroq; claudicare pede, cum Israëlitis contendunt, & dum flagitiorum cœno volutati, dum carnis voluptatibus deliniti, dum amore hujus seculi irretiti, quæ Satanæ & mundi sunt, operantur: videri tamen volunt religiosum DEO præstare cultum, suæ quasi salutis desiderio affici & pro veris membris Ecclesiæ censeri.

II. Docemur etiam Deum odisse omnem hypocrisin,

pocrisin, eosq; detestari, quibus nullus ardor, nulla religionis veritas inest: sed frigida tantum & ficta sanctimonia sub operculo pietatis delitescens.

III. Admonemur ardoris & diligentiæ in curanda salute nostra & faciendo vocationis officio, ne frigidè & defunctoriè tractemus ea, quæ divinitus nobis injuncta sunt; verùm potiùs operam impendamus seriam & sedulam: ut pulso detestabili tepore animi, qui vomitum Deo ciet zelo flagrante, nos totos ejus cultui consecremus, studia sancta sectemur, & ejus gloriam atq; salutem propriam promoveamus, juxta mandatum Apostoli dicentis 1. Cor. 14. Sectamini caritatem, æmulamini spiritualia, & cap. 12. Æmulamini charismata meliora.

Secundò flagitat à suis Spiritus sanctus Resipiscentiam: ut remota hypocrisi & securitate animi, se totos ad ipsum convertant.

Nota est vox μετανοεῖν quæ idem est quod latinis resipiscere: Hæbreis redire scilicet, ad cor: Qua voce significatur prioris cõsilij mutatio, erroris emendatio, seu diversum ab eo, quod prius in animo erat, sentire & facere. Esai. 38 Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ex hoc colligitur initio turpem & erroneam aliquam mentis aversionem seu defectionem fuisse: Qualis in primævis monstratur paren-

tibus, qui à Deo suo, optimo objecto per inobedientiam avulsi, ac metu divinæ ultionis absterriti, ad ejus adversarium Diabolum conversi sunt, & ipsius ductum ita secuti: ut, quò longiùs progrederentur, eò majoribus implicarentur erroribus atq; periculis: donec tandem per DEI misericordiam, agnito & damnato peccato, dulci promißionis voce ad pœnitentiam vocati & in integrum per Christum restituti sunt. Inde etiam factum, quòd omnes ex Adamo prosemina- tè per ejusdem ἀποστασίαν, non modò hostes & inimici DEI facti, communem reatum peccati & iræ Dei contraxére, Sed etiam ab eo, tanquam membra à capite, avulsi & à vita Dei abalienati manent, donec & ipsi ad meliorem mentem (cum filio illo prodigo) reversi & ad patrem omnis misericordiæ, à quo exciderant, conversi, in vera agnitione peccatorum, firma fide confugiunt & se erigunt voce Evangelij de mediatore Christo, quem proposuit Deus propiciatorem pro peccatis nostris: per quem sublata distractionis hujus causa, eidem, tanquam capiti, rursus agglutinantur & ad pristinum statum, vi spiritus Dei per verbum adducuntur: Vt abnegata deinceps omni impietate & concupiscentiis seculi præsentis, vero obedientiæ studio, in vocatione, in cruce, in tota vita ac morte, ipsi constanter adhæreant.

(Esai. 64. Luc. 15. Roman. 3.)

Hæc est vera illa resipiscentia, ad quam nos

hodie

hodie etiam hortatur Dei spiritus, & vult ut ingenitam infirmitatem, sordes & peccata commissa, animo minimè simulato, coram Deo agnoscamus & confiteamur: seriò exhorrescamus ꝓpter offensū à nobis Deum, cum meditatione justi judicij ac iræ ejus, quam in nos peccatis nostris provocavimus: et tamen non desperemus, vel propter peccati gravitatem, vel dolorum & cruciatuum animæ & corporis (in quos conjecti sumus) magnitudinem: sed in mediis angoribus & æstuantis conscientiæ motibus, certa spe ac fiducia confugiamus ad misericordiā gratuitam, in solo filio, omnibus verè pœnitentibus, propositam: cum stabili ac firmo proposito, non solum peccatum, sed et omnem peccati occasionem vitandi: Vt tota vita nostra Deo grata sit & accepta. Te rogamus æterne Deus, adesto nobis, & flecte corda nostra, ut maturè, relicto tristi illo & infelici Diaboli & peccati servitio, spiritu mentis nostri renovati, totis animis ad te convertamur, & induamus novū illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad justiciam & sanctitatem. Ephes. 4.

III. Si quis aperuerit.

Tertium quod à fidelibus requirit Dei spiritus, est, ut expectanti et pulsanti Domino ostiū cordis per fidē et obsequium mandatorū ejus, aperiamus et mentē nostrā cū affectibus spiritualiter præparemus, quò in occursum ejus, paratiores et ad ipsum excipiendū expeditiores sim⁹: quemad. hortatur

 Amos 4

Præparare in occursum DEI tui Israël. Item, Adorna thalamum tuum, ut eum dignè suscipias. Psalm. 24. Aperite portas, principes, vestras & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ &c.

Apud Romanos servi Dominos suos manè salutatum veniebant, & in vestibulis ante fores, sine tædio eos expectabant, quò favorem & gratiam eorum prolicerent & obsequium suum ipsis testatum facerent: Quantò magis pios festinare & solicitè expectare summi ac cœlestis DOMINI conspectum, & cum Davide, faciem ejus præoccupare, se ei submittere, ab ipsius nutu pendere, & illi servitium suum deferre oportet: Vt gratiam, filij ipsius sangvine, acquisitam, maturè mereantur. De talibus loquitur sapientia essentialis CHRISTVS proverb. 8. inquiens: Beatus homo qui auscultat mihi & solicitè vigilat ad fores meas quotidiè, & observat postes ostiorum meorum, quoniam, qui me invenerit, vitam inveniet & hauriet salutem Domini.

Psal. 95.

Aperiunt igitur omnes, qui se obedientes & faciles ad DEI gratiam recipiendam præbent, nec hostiliter Deo vocanti repugnant, aut gratiæ in verbo oblatæ reluctantur: sed ultrò pectoris sui januam, ruptis peccatorum repagulis & remotis omnibus obstaculis, impuritate, ira, ava-

ritia,

ritia, ebrietate, superbia &c. patefaciunt, atq; vocationi divinæ, spontanea voluntate morem gerunt: semper parati, ipsius mandatis obsequium præstare & se beneplacito ejus ita submittere, ut si quod ipse facturus erat, ipsi in se faciant priores, & judicia ejus sua antevertant obedientia.

Exemplum: *Vult nos* DEVS *damnare & mulctare pro scelerum nostrorum merito:* Hoc *ipsum ergò faciamus ipsi, dum serio peccatorum examine facto, illa in nobis, nosq; per illa damnemus & culpam omnem apud ipsius tribunal per* CHRISTI *meritum deprecantes, totos nos verbi ipsius disciplinæ, &, si velit, cruci, imò morti cum Jobo subjiciamus, inq; ejus benigna voluntate acqviescamus.* Id *vult Paulus cùm inqvit, Si judicaremus nos ipsos, non judicaremur.* Et *nisi hoc fiat, manet homo Satanæ domicilium, eumq; quotidiè ad se ingredientem excipit: quem si à se postea exclusum velit, nequit:* Etenim *astutia & potentia ejus tanta est, ut in eo expugnando & occupando, nullis mortalium viribus repelli possit: Scit etiam qua parte homo infirmissimus est, & quibus armis facilimè debellari vinciq; potest.*

Iob. 13.

1. Cor. 11.

Multa *proindè cura & vigilantia opus est, ut omnes illi aditus præcludamus, nec ipsum unquam admittamus:* Quod *non alia ratione, neq;*

commo-

commodius fiet, quàm si apertis foribus cordis Christum maturè exceperimus, qui domicilium in nobis faciet, eritq; Emanuel noster & DOMINUS Zebaoth, atrium hoc suum in pace, fusis fugatisq; hostibus, custodiens.

Apparet hinc quam tristis sors illorum sit, qui (ut Iob loquitur cap. 24) nesciunt vias Domini, nec intelligunt semitas ejus, hoc est, qui neq; ad clamores Ecclesiæ, neq; ad sacras conciones, nec ad spiritus sancti internas voces evigilant aut aperiunt. Et quemadmodum hi cordis sui januam Christo occludunt: ita etiam salutis januam, sibi occlusam sentient, & ab ea repulsi, cum æterna confusione, ad portas infernales, conjicientur in tenebras exteriores, vbi fletus & stridor dentium.

Matth. 8.

IV. Si quis audiverit vocem meam.

Quia mens hominis cœca est, nec facilè præstare novit ea, quæ flagitat spiritus: ideò ut piis faciliora reddantur omnia, verbum Dei, tanquam lucernam in tenebris & caligine ignorantiæ & errorum hujus seculi lucentem, monstrat: ad cujus præscriptum, tanquam ad normam certissimam, omnes actiones suas comparent, nec quidquam probent nisi quod cum hac regula congruere intellexerint. Ita fiet ne in errorum præcipitia &

tia & scopulos tenebrarum impingant & salute excidant.

Notandum, quod verbum in scriptura sacra expressum, Vocem suam esse hic testatur, qua ab initio cum patribus locutus, voluntatem suam declaravit, & in qua universæ salutis humanæ ratio monstratur. Hoc verbum vult nos audire, non solùm aure externa sed interna: ut intra animos illud recipiamus, corde honesto & bono conservemus, diligenter in eo versemur, seriò & assiduè illud meditemur, & in mortem usq; profiteamur. Per hoc nobis salus & justicia contingunt: per hoc in nobis opus suum perficit spiritus S. dum per ejus auditum, fidem veram & salvificam progignit in CHRISTVM: quem exhibitum salutis autorem credens agnoscit, amplectitur, colit, veneratur. Rom. 10.

Luc. 11. Joh. 8.

Excitat præterea spiritus per hujus verbi auditum, obedientiam veram mandatorum Divinorum, et obsequium Deo placens: dat velle et perficere, & efficit ne fides illa nostra, de qua gloriamur sæpius, inanis sit & mortua, sed per caritatem efficax & operosa, juxta mandatum Jacobi capite primo: Sitis non auditores verbi solùm, sed & factores: Ociosum namq; auditorem, similem facit viro consideranti vultum suum in speculo & statim obliviscenti qualis sit:

Sic

Sic ad ſpeculum verbi DEI, *deformitates contemplari, nec eas corrigere, res nullius penſi eſt. Arguebat propterea* DOMINVS *populum ſuum apud Ieremiam cap, 30. exemplo Rechabitorum filiorum Jonadab, quòd audiverunt verbum patris ſui, & ejus præceptis obediverunt: Ego autem (dicit Dominus) locutus ſum ad vos de mane ſurgens & loquens, ſed non obediviſtis mihi.*

Quotquot igitur Domini eſſe cupiunt, ejus vocem ſic audiant, ut ſe à profanitate hujus ſeculi ſeparent, &, relictis mortuis operibus, quæ hominem æternæ damnationi mancipant, adjungant ſe DEO, *& Chriſtum, cujus ſe merito liberatos audiunt, corde excipiant per fidem, ſeq; totos ejus obſequio, in vera invocatione, confeſſione, patientia & tota nova obedientia addicant. Secus qui fecerint, aliud nihil quærendo, quàm quæ carni grata ſunt & jucunda: eis verbum (etiam millies auditum) nihil proderit: ſed erit, ut Paulus loquitur, ipſis odor mortis ad mortem & judicabit eos in die noviſſimo, Ioh. 12.*

2. Cor. 2

Dici hîc poßit, quis hujus auditionis effectus & utilitas ſit, & quantam in cordibus piorum conſolationem operetur: Verùm brevitatis cauſa ſuperſedeo. Tantum eos admonitos volo, qui ex hoc incorruptibili ſemine renati ſunt,

1. Pet. 1.

ac quo-

ac quotidiè ad animæ ſuæ utilitatem & vitæ correctionem, vocem hanc audiunt: Vt eam memoria teneant, corde conſervent & opere explere ſtudeant: Ita fiet ut ejus dulcedinem, in vita & morte guſtent & percipiant, cum Ieremia dicente: Factum eſt verbum tuum in gaudium & læticiam cordis mei, & ſicut mel in ore meo. Quemadmodum etiam Davidi Pſal. 119. Ezechieli cap. 2. Iohanni Apocal. 10.

Ierem. 15.

V. Qui vicerit.

Cùm tota vita humana ſimilis ſit militiæ, in qua plurima occurrunt monſtra, quæ hominem, præcipuè Chriſtianum, omni ſtudio ac diligentia ad vitam æternam contendentem, in ſuſcepto curſu remorari & inhibere omni conamine ſatagunt: utpotè Satan, mundus, caro, tyranni, hæretici, prava hujus ſeculi exempla & ſimilia ſalutis obſtacula & impedimenta: Adverſus quæ piis, dùm in hoc decurrunt ſtadio, perpetuò dimicandum eſt. Ideò hortatur poſtremo loco Spiritus ſanctus pios, ad tolerantiam & conſtantiam, ne vel multitudine vel potentia hoſtium, adeò terreantur, ut abjecta divini auxilij & ſalutis ſpe, à principe ſuo CHRISTO, aut à pio propoſito veritatisvé confeßione ſe abduci patiantur: Potiùs divinis promißis conſtanti fide innixi, animo pacato & tranquillo adverſa omnia ferant, & ſancto cum contemptu hoſtes univer-

Job. 7.

universos & singulos vilipendant: Donec tandem potiti victoria, cùm in hac vita, tùm in die restitutionis omnium, quando capitalis ille hostis Diabolus cum omnibus suis asseclis, & tota impiorum coborte, subjicietur tanquam scabellum pedibus illorum, ipsis ad gaudia cœlestia subvectis & gloriosè cum CHRISTO *duce suo triumphantibus. Zach. 4. Ecce conculcabitis impios, & erunt pulvis sub plantis pedum vestrorum. Ideò exagitat et irridet Dominus irritos conatus hostium Ecclesiæ apud Esaiam 8. his verbis:* Congregamini ô populi: at inferiores eritis. Auscultate, qui in remotis estis regionibus, accingite vos: at inferiores eritis. Inite consilia, & erunt irrita, loquimini sermonem, sed non stabilietur, quia nobiscum Deus. *Et Psalm. 27.* Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? *Psal. 23. Rom. 8. etc.*

I. *Erudimur ex his, quo animo affecti esse debent fideles, quando mundus cum principe suo furit, impij contra fideles insurgunt, Tyranni* DEI *cultores premunt, caro cum suis illecebris à Deo abducere studet, mors faciem truculentam ostendit: Tunc fide in cœlos subvecti, hostibus insultare sancta confidentia debent, & mundum ex*

alto despicere, quasi stercora conculcare opes, honores, voluptates, & quæcunq; alia nos infestant. Tùm etiam gemitu & lacrymis, in pia invocatione, quotidiè consolationem petere, & placidis animis cum fiducia liberationem, vita festinanter ad metam decurrente, expectare: Tunc victoriam (quamvis natura infirmi & hostibus longè inferiores viribus sumus) obtinebimus: fortior enim est, qui in nobis habitat, quàm qui in mundo: Et per eum invicti reddimur, qui jam olim caput serpentis contrivit, & omnem potestatem adversariam sibi subegit: Is etiam animum suis addit & dicit: Confidite, ego vici mundum. Et hæc est illa victoria quæ vincit mundum, Fides nostra.

Ioh. 14.

1. Ioh. 4.

II.

Docemur non satis esse, benè cœpisse, nisi in finem usq; perseveraverimus: Ea enim conditione salutem consequimur, ut verbo audito credamus & in fide CHRISTI ad finem constantes maneamus, sicut docet Apostolus cùm inquit: Participes facti sumus Christi, si conceptam fiduciam usq; ad finem firmam tenuerimus. Et Salvator ipse Matth. 10. Beati qvi perseveraverint usq; ad finem. Item. Apoc: 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Hebr. 3.

Tu igitur Fili Dei, propter gloriosam victoriam tuam largire, ut per te superiores simus omnibus hostibus nostris, corporalibus & spiritualibus,

libus, quò meliùs tuo spiritu roborati, in finem usq; perseveremus, & coronam illam immarcessibilem vitæ & gloriæ omnibus tuum adventum expectantibus promissam consequemur.

DE SECUNDO.
& ultimo.
Ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo. Dabo ei sedere mecum in throno meo &c.

V*T videamus* DEVM *illis nunquam desore remuneratione sua gratuita, qui illum recipiunt, & vitam suam ad ipsius voluntatem, in fide comparant: Subjicit nunc spiritus sanctus, quis studij hujus sancti fructus piis obveniat, seu quæ pietatis præmia in utraq; vita præsenti & futura, parata & proposita maneant, hæc videlicet quæ subijcit:*

Primum, Ingrediar ad eum. *Perstat in eadem metaphora hospitis noctu venientis, & promittit se, postqvam á piis receptus sit, priorum injuriarum & repulsæ obliturum, amicè & familiariter nunc cum ipsis conversaturum, obsequia eorum (licet imperfecta) benignè accepturum, & bona sua liberaliter ipsis communicaturum.*

Ingredi *enim usitata scripturæ phrasi, significat rem aliquam occupare, in possessionem*

nem vindicare & frequenter in ea versari.

Pollicetur igitur se piis semper præsentem sua gratia verbo & spiritu affuturum: ut inhabitet (quemadmodum Paulus loquitur) CHRISTVS per fidem in cordibus illorum, quod & ipse, Iohan. cap. 14. promittit, dùm inquit: Si quis diligit me &c. ad eum veniemus & mansionem apud illum faciemus. Item, Habitabo in eis & inambulabo, & ero illorum DOMINVS, & illi mihi populus. Ephes. 3.

Ingressus autem CHRISTVS, cœlestes secum adferet thesauros: favorem DEI, indulgentiam peccatorum, justiciam, dona & charismata spiritus sancti, liberationem ab ærumnis & morte, prosperitatem æternam &c. Quæ omnia CHRISTVS ingressus domum Zachei, eidem promisit, cùm diceret: Hodiè salus domui tuæ contigit. Luc. 19.

Et quia non alio modo, quàm per verbum & sacramenta ad nos ingreditur, seq́ nobis per ea conjungit; Hæc propterea igitur adminicula reverenter amplecti debemus: à quibus si secessionem fecerimus & impio fastu spreverimus, fieri non potest, quin & ipse se prorsus à nobis subducat & nos in æternum excludat. Matth. 8. Luc. 4. Iohan. 8.

Secundum, Cœnabo cum eo.

Sanctorum felicitatem cœnæ jucundissimæ comparat: quia finis laborum est & ærumnarum, atq; initium intemeratæ gloriæ et gaudij, in ultimo illo apparatu cœlesti. Et *quemadmodum in cœna principis liberalis, nihil deest ad copiam & hilaritatem: ita abundantia gratiæ & lætitiæ omnibus electis offeretur: nec ullo cibo jucundiore vel salubriore satiari desiderabunt, quàm* Deo *ipso,* Ioh. 6. *qui hujus cœnæ cibus est, quiq; in die novissimo intromittet in aulæum cœleste, ad celebrandum magnam illam cœnam æternorum gaudiorum, omnes credentes, ubi quietem à laboribus, vitam sine læsione, saturitatem dulcedinis cœlestis sine fastidio, conversationem divinam in lumine, & copiosam donationem omnium bonorum spiritualium invenient:* De qua Iohan. Apocal. 19. *inquit:* Beati *qui ad cœnam nuptiarum agni* Apoc. 21. *vocati sunt:* Tunc *non esurient neq; sitient amplius.* Et Esai. *cap.* 25. Faciet DOMINVS *exercituum cunctis populis in monte hoc, convivium lautissimum, refertum puro vino, pingvedine medullæ & mero defæcato &c. & devorabitur in monte hoc involucrum, quo omnes populi involuti sunt, et tegumentum, quo omnes gentes cooperta sunt, et mors devorabitur in sempiternum, et absterget* DOMINVS *omnem lachrymam ab omni facie, et opprobrium*

populi

populi sui auferet ab universa terra.

Item Psalm. 36. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Nos propterea qui ad cœnam filij DEI *in hoc mundo invitati sumus per ejus ministros, monemur, ne cibum hunc cœlestem, qui nobis nunc apponitur fastidiamus: sed ejus verbum verum panem illum vitæ, quo reficiuntur tanquam famelici ad satietatem animæ omnes credentes, magnifaciamus: quo tandem satiemur lætitia illa cœlesti, cùm apparuerit facies ejus. Neq; tunc cum indignis contemptoribus excludamur à salute, cujus illi ne quidem gustum percipient: sed ut Psalmista loquitur, feces ebibent.*

Iohan. 6.

Psalm. 17.

Psalm. 75.

Tertium, Sedebit mecum in throno meo.

Vt adhuc res illustrior sit & majorem vim habeat ad recreandum piorum animos, etiam hanc addit promissionem: humano more alludens ad Regum majestatem & principum hujus seculi splendorem, qui in summo tribunali considentes, consiliarios & intimos habent sibi in consessu proximos. Ea metaphora volens ostendere magnitudinem gloriæ vitæ cœlestis, quam hîc omnibus pollicetur fidelibus; illos videlicet non modò receptum iri in regnum cœleste & æternum, sed & ea beatitudine, dignitate, gloria & majestate, in quam ipse Christus caput ipsorũ

erectus est, ad dexteram æterni Patris eos donatum iri; id ipsum promittit Christus Discipulis, Matth. 18. Luc. 22. cum inquit: Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, ego dispono vobis sicut pater meus disposuit mihi regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, & sedeatis super thronum meum & judicetis duodecim tribus Israël: hoc est, quemadmodum explicat Paulus Coloss. cap. 3. dicens: Cùm apparuerit CHRISTVS, vita nostra, & nos apparebimus, cum illo in gloria. Item Philipp. 3. Conversatio nostra in cœlis est, unde expectamus redemptorem: qui mortalia corpora nostra conformia reddet glorioso corpori suo, secundum potestatem, qua omnia sibi subjicere potest.

Absit igitur ut illud studium aut illam curam, quæ tantam habent præmij retributionem, abjiciamus: Aßiduè potiùs nobis vigilandum & laborandum, ut ejus consortes reddamur, & rogandus est DEVS misericors, qui hactenus suum erga nos amorem testatus est: eligendo nos in populum suum, & in libertatem filiorum asserendo, per verbi ministerium, nos vocando & arguendo, virga sua paternè nos castigando, summa industria & labore, ostium cordis nostri pulsando & ingressum sibi parando: hic (inquam) à nobis seriò rogandus est: velit

spiritu

spiritu suo, corda nostra excitare, nos in pia vigilantia retinere, quò maturè, dùm præ foribus est, ei aperiamus, alacriter occurramus, faciles aures & animos, ad recipiendum ejus verbum & gratiam præbeamus, patienter crucem feramus, fortiter mortem vincamus et tandem in cœnaculum illud cœleste transferamur, ibiq; laborum omnium retributionem & intemeratam illam felicitatem, quam neq; oculus vidit, nec auris audivit, nec intellectus humanus comprehendere potest, abundè accipiamus per Christum, Cui honor & benedictio in secula.

AMEN.

CONCIO TERTIÆ DIEI.

TEXTVS ESAIÆ Cap. 12.

ET dices in die illa, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus eſt furor tuus, & conſolatus es me.

Ecce Deus ſalvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.

Et dicetis in die illa, Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: mementote quoniam excelſum eſt nomen ejus.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in univerſa terra.

Exul-

Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

REgius Propheta David in admirationem divinæ erga se bonitatis, & beneficiorum amplißimorum considerationem deveniens, læto animo ac voce erumpit in hanc exclamationem dicens: Quid reddam DOMINO, pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem salutis accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam nunc in conspectu omnis populi ejus. *Psal. 116.*

Cùm enim videret & intelligeret, quod tàm nihil esset homo, nec quicquam poßet DEO *reddere pro tantis & tam variis beneficiis, quæ in ipsum quovis momento confert: neq; Deum ullo nostro indigere officio vel remuneratione: Promittit se poculum servatæ salutis & gratiarum actionis sumpturum, vota sua ei exsoluturum, nomen ejus invocaturum & perpetuas ipsius laudes in cœtu publico celebraturum.*

Hoc suo exemplo pios omnes commonefactos vult, ne unquam beneficia divina vilipendant aut leviter æstiment, sed ex intimis cordis affectibus, animo sincero & grato ea semper deprædicent: quo & DEVM *honore debito affi-*

 ciant

ciant, cumq; ad continuanda beneficia sua, permoveant, & alios suo exemplo ad similem cultum Deo præstandum invitent, inq; pietate eosdem confirment.

Facit hoc idem Propheta Esaias insigni hoc cantico recitato, dùm grata mente ac lingva, beneficia miranda erga se & Ecclesiam omnium temporum celebrat, exhortans universum populum Israëliticum, ut gloriosam illam liberationem & salutem divinitus præstitam: gratis animis & læta voce perpetuò laudet & deprædicet. Quando non solùm è manu Aßyriorum immani rabie in totam gentem (urbe Hierosolyma obsidione cincta) grassantium, gloriosè eum liberavit: sed in primis per CHRISTVM repressis destructisq; hostibus spiritualibus, Satana, morte, peccato, inferno, pios à perpetuo exitio vindicatos, in regnum suum, (ubi fons consolationis & omnium bonorum abundantia invenitur) transtulit, atq; in æternam libertatem asseruit.

Et quia nos iisdem beneficiis afficit Deus, neq; nostrûm quenquam latere potest quanta & quàm multiplicia de manu ejus acceperit: Ideo & nos hortatu prophetæ incitati, meditationes nostras in simili cultu exercebimus. Primo considerando paulò diligentiùs magnam hanc nostram felicitatem, qua hodie præ multis populis

gaude-

gaudemus. Deinde invocando ipsius nomen & precando, velit nobis deinceps propitius esse, sua gratia langvidas mentes reficere & corda perterrefacta sensu iræ ac judicij divini erigere & consolari, atq; in posterum fontem salutis aperire, suaq; dona & bona nobis communicare. Tùm agendo ipsi dignas gratias & celebrando ejus beneficia corporalia & spiritualia.

Hæc si fiant in agnitione & fiducia mediatoris CHRISTI, *sacrificium erunt ipsi gratißimum, & placebit præ bove juvenco, qui producit cornua & ungulas. Psalm 69.*

Cæterùm nos canticum, hoc Prophetæ in duas dispescèmus partes ad nostrum proposi tum accomodatas.

In prima enumerantur multis verborum ornamentis aliquot beneficia, non solùm Israëlitis, sed & omnibus fidelibus per Christum parta & parata.

In secunda fit exhortatio primùm ad omnes in genere Israëlitas, mox in specie ad Sionem, id est Ecclesiam fideliũ tunc temporis Hierosolymis: ut sincero & fervente studio Deum suum laudent & celebrent.

DE

Et dices in die illa, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.

ORditur ab exhortatione, quæ constat læta & amica compellatione, invitans totum Israëlem ad Δοξολογίαν *seu gratiarum actionem: & vt expeditius ac facilius eam præstet, formulam præscribit & dictat, quam universi & singuli illorum publicè & privatim in hoc interno cultu præstando sequentur, ad gloriam divini nominis, pro impetrata salute, ac plurimorum beneficiorum copia concessa, decantandam.*

Et dices) *Alloquitur totam Ecclesiam numero singulari, tanquam unam personam: ut ostendat omnes credentes unum esse corpus mysticum, sub uno capite* CHRISTO, *cujus etiam merita & beneficia ad omnia & singula ejus membra pertinent: Quocirca pios oportere in unum cœtum sæpiùs coalescere, & uno quasi ore & corde confeßionem suam edere,* DEVM *misericordem celebrare & grati animi significationem erga illum testari.*

1. Cor. 12.

Ephes. 5.

In die illa) *Scilicet gloriosæ liberationis tuæ, cùm è tyrannide Regis Asyriorum te persequentis & undiq; prementis eripuerit: Tùm in primis, quando per Meßiam tuum promissum libera-*

liberatus fueris ab hostibus spiritualibus & æternis: Tunc (inquit) lingva & corde deprædicabis ejus erga te beneficia, non quidem externa illa, ut sunt sanitas corporis, opes, fertilitas agrorum, victus, vestitus etc. (quanquam pro hisce etiam gratia ipsi debetur sincera & magna) sed age gratias pro internis & spiritualibus bonis, quòd in gratiam te receperit, te consolatur, defendit te & liberaliter donis spiritus sui te ornat & amplificat.

Materiam igitur gratiarum actionis indicat, & rationes cur agendæ sunt, à variis istis beneficiis, quæ in populum suum, adeoq; totum genus humanum contulit, ordine recenset, quæ nos etiam examinabimus nobisq; applicare studebimus.

Conversus est furor &c.

Primum beneficium est gratuita condonatio peccatorum & reconciliatio cum DEO *offenso, qui furorem suum in favorem ita convertit: ut iram gravissimam sustulerit & interventu vivifici verbi & efficacis spiritus Christi, trãquillitatem et liberationem à tentationibus Satanæ, peccati doloribus, conscientiæ angoribus & mortis terroribus eripuerit.*

Cùm enim Deus toti humano generi justè offenderetur, & à facie sua projectum, æternis pœnis addixisset propter inobedientiam primi illius transgressoris Adæ, qvi cùm exspoliatus & nudatus esset

tus esset beneficiis divinis, & corpore ac anima vulneratus, in potestatem Satanæ venisset: Deus ex immensa sua misericordia reconciliavit sibi mundum in filio suo, qui factus victima in ara crucis, omnem iram patris restinxit, peccati pœnam in se darivavit, & justiciam cruore proprio emptam credentibus impertivit, per quam non solùm DEO *reconciliati absolvuntur à reatu furoris hujus, inferni & mortis æternæ: sed etiam favorem ejus consequuntur, in filios* DEI *adoptantur & hæredes vitæ cœlestis efficiuntur. Rom. 8.*

Hoc est illud beneficium quod tam magnificè initio celebrat propheta, cujus & nos cùm participes simus, excitari par est ad gratiam DEO *referendam, quod per & propter hunc ipsum filium suum, qui solus humanæ salutis arbiter est, neq; aliud nomen datum sub cœlo, in quo salvari oportet, nos in gratiam receperit, suamq; quotidiè erga nos misericordiam renovet.*

Hæc erit nostra in angustiis animi, spes & consolatio, quâ in mediis terroribus, mentes nostras fulmine judicij Divini prostratas & dejectas, ob delictorum atrocitatem & immensitatem erigamus: videlicet quòd fores misericordiæ DEI *nobis pateant semper, quòd non litiget æternum; nec in perpetuum irascatur, sed intercessione filij* (Psal. 103.)

sui

sui ita placatur, ut qui antea justus judex et severus vindex scelerum fuerat, benignus nunc pater sit, cujus ira momentum durabit & vita delectabitur, ad Vesperam fletus erit & manè gaudium.

Et quamvis nos interdum puniat, ut corpus peccati mortificetur, minimè tamen cogitabimus illum furoris sui adeò tenacem esse, ut non remittat offensam petenti, verùm recordatur gratiæ in medio iræ, ne ea penitùs absorbeatur peccator, atq; ideò, non ut perdat punit, sed ut salvet ac vitam & salutem restituat. Propterea etiam mox subjungit Propheta:

Et consolatus es me.

Secundum beneficium, quod pios ad gratiam DEO dandam exstimulabit, est efficax consolatio, qua animos mœrore confectos ac contrita corda verbo suo recreat, & beata sua svavitate explet, & quemadmodum Job ait: Post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymas exultationem infundit.

Etsi enim remißis ex gratia peccatis, DEO accepti sunt credentes, tamen quamdiu in vita hac ærumnosa hærendum ipsis est, & reliquias congenitæ corruptionis circumferũt, anxia et tristis admissorum delictorum recordatio & judicij divini consideratio recurrit sæpiùs, animos exa-

gitans

gitans & acerbum illis dolorem incutiens, ut quemadmodum foris sunt pugnæ, sic intus pavores. Neq; enim desinit angelus iste Satanæ nos colaphis cædere, neq; stimulus nobis in carne datus exagitare, quemadmodum quiritatur apostolus Paulus, David & sancti alij.

2. Cor. 7.

2. Cor 12.

Hic igitur subindè opus est nova & efficaci consolatione, quæ animos in spe & fiducia sustentet & confirmet: ne metu circumstantium malorum consternati, doloribus succumbant: tristis enim spiritus exsiccat ossa: Et sicut tinea vestimentum & vermis ligna: sic tristicia cordi viri nocet, teste Salomone.

Prove. 17. & 25.

Hanc præstat spiritus DEI, qui propterea à CHRISTO Paracletus dicitur, quòd interna consolatione sua per verbum nos recreat, et de paterna indulgentia certos facit, amaritudinem contriti cordis, recordatione divinæ bonitatis temperans & interpolans, & ut Propheta loquitur, infrenat os hominis laude sua, ne intereat: hoc est, ne intuitu peccatorum suorum & horrendi judicij divini, in mœsticiam incurrat nimiam: & ipsum respirare facit in bonis suis, qui de malis suis confunditur. Vnde David Psalm. 94, Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Item periissem in afflictione mea, nisi lex tua delectatio mea fuisset,

Esai. 48.

Psal. 119.

Psalm.

Psalm. 119. *Cogitavi vias meas & converti pedes meos ad testimonia tua : ut videlicet qui dolorem, contritionem & omnia acerba in propriis viis meis fueram perpessus, in via testimoniorum Divinorum consolationem acciperem.* Et Paulus 2. Corinth. 1. *Sicut abundant passiones* CHRISTI *in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.*

Hæc ut nos admonent de magna infirmitate sanctorum, qui nisi subindè consolationem accipiant & contra dolores mortis, peccati & inferni divinitus sustententur, omnino eos succumbere, animis frangi & deficere, necesse est. Sic contra, de magna piorum felicitate docemur, qui cum DEVM *præsentem semper habeant, fieri non potest, quin omni oblectatione, tranquillitate, gaudio & lætitia spiritus, orta ex sensu misericordiæ & favoris* DEI, *affluant: justificati namq; fide, pacem habemus & accessum ad Deum, per* DOMINVM *nostrum* IESVM CHRISTVM. *Videre hoc est in Jobo, qui ne in acerbissimis quidem afflictionibus suis ab hujusmodi consolatione deserebatur, nec se à suo corde unquam reprahensum esse asserit. Ideò & Salomon piæ animæ tranquillitatem jugi convivio similem esse ait,* Proverb. 15. *Contra verò vanam esse videmus omnem consolationem hominum profanorum, quantumvis opibus affluant*

Rom. 5.

Job. 27.

se hujus vitæ deliciis oblectent, gaudeant, rideant & fiducia suarum virium ac successuum sese efferant, pollicentes sibi in iis prosperitatem perpetuam: sentient enim aliquando animi sui tumultum, jugem peccatorum metum & cordis perturbationem, timorem & tremorem. Sicut ignis (inquit Salomon) spinarum ardentium sub olla, sic risus impij. Et Augustinus: Seculi lætitiam rectè vocat impunitam nequitiam.

Serm. 27. de verbis Domin.

Ecce Deus salus mea, confidam ei & non timebo &c.

Tertium beneficium protectio est seu defensio in periculis & liberatio piorum ab omnibus hostibus animæ & corporis.

Ecce) *In rem quasi præsentem digitum intendit & jamjam adesse liberationem ostendit, quamvis dura eis certamina & varia pericula adhuc circumstent, quod eos ideò diligenter attendere vult, ut & tantò majorem fiduciam concipiant, & eò alacrius liberati, gratiam* DEO *rependant.*

Quid autem adeò accuratè perpendi velit, quatuor diversis exprimit nominibus, quorum primum est:

Deus est salus mea *seu salvator meus, qui non solùm auxilium & opem mihi præstat, sed ipsam salutem donat, liberando me à pote-*

ſtate & tyrannide hoſtium ſpiritualium, Satanæ, mortis, inferni: tum etiam è manu perſecutorum meorum eripiendo, quando ab ipſis undiq; circumſeptus in extremum periculum conjectus eſſem, nec ullus judicio humano appareret exitus aut evaſio: nequaquam paſſus eſt illos pro ſua in me libidine ſævire, ſed potenter & clementer me defendit & ſalutem præſtitit.

Secundum, Fortitudo mea, id eſt, propugnaculum & robur meum, per quod vita mea adverſus quoſvis impetus & validiſsimas impreſſiones hoſtium ſumma immanitate me prementium & opprimere volentium, defenſa eſt: & animus meus robore interno confirmatus, ne trepidatione, pavore aut puſillanimitate deficerem: ſed adverſus omnem vim & tyrannidem Satanæ & membrorum ejus immotus conſiſterem.

Tertium, Et canticum meum Dominus Deus. hoc eſt, ipſe tanta & tam ampla præſtat beneficia, ut ſolus, excluſis omnibus mediis & meritis, omni etiam dignitate, potentia & ſapientia humana, objectum & argumentum laudis meæ ſit atq; in ipſo ſuppetat mihi materia gratiarum actionis: propterea hunc ipſum cano, ipſius nomen deprædico, ipſum celebro atq; in ſolidùm ipſi omnia accepta refero.

Quartum, Factus est mihi in salutem.

Alludit Propheta ad salutare illud nomen IESV CHRISTI, *quod ipsi ab angelo indebatur, antequam conciperetur in vtero virginis matris. Propterea hîc nomen illud essentiale Iah Iehova geminat, quasi diceret, Is mihi salvator erit, qui* DEVS *est de* DEO, *id est,* DEI *filius, apud quem solum mihi reposita est salus, & ideò nobis à patre datus, ut destrueret opera Diaboli, ex morte & periculis eriperet & salutem æternam Ecclesiæ suæ conferret.*

Hæc beneficia Divina sibi per fidem applicans, se animo infracto fore asserit, cùm tam potentem habeat παραστάτην *& defensorem: sub cujus alis & protectione tutus latere & sperare queat, propterea hostibus quasi insultans ait:* Confidam, seu fiducialiter agam, non timebo, *hoc est, Quicquid mihi in vita acciderit, certò statuam me Dei auspicio & ductu salvum fore: in hunc salutis meæ autorem fiducia filiali recumbam, nec patiar me ulla trepidatione aut timore ab eo avelli.*

Deserviunt hæc nostræ consolationi & doctrinæ: cùm enim magna sit impotentia naturæ humanæ, quæ ex se nihil est nisi calamitas & imbecillitas, & homo quotidiè in acie constitutus tanquam miles inermis, omnibus præsidiis destituitur:

tur: hostes verò, ut sunt Satan cum suis organis, magno numero & impetu incursionem faciunt, neq; etiam desinit domesticus ille hostis caro, negocium nobis facescere, quæ aßiduis cupiditatum flammis æstuans, facilimè ac levißimo momento (accedentibus etiam aliundè flabellis & incitamentis) in errores, terrores, gravia scelera & pericula impellitur.

In his igitur confugiendum nobis erit ad hunc protectorem & salvatorem, & ab illo solo defensio, consilium & auxilium adversus tam potentes hostes petenda & expectanda erunt: nec unquam dubitandum, quin hujus solius fiducia & præsidio nixi, omne robur adversariorum frangere, omnem metum superare, omnes machinationes cruentas & callidas eludere, nobis facile sit futurum.

Nec obstat quod interdum Ecclesiam ærumnis exercet DOMINVS*, projicit dilectam suam in medium inimicorum suorum, & sinit eam in extremitatem summam venire, ex qua nunquam vel difficulter evasura videtur: nequaquam tamen se ab hoc salvatore desertum iri putabit, nec desperatione frangetur: sed paratißimam liberationem & salutem reipsa experietur: modò spem in hunc ipsum fixam habuerit, qui solus reprimere hostes novit etiam potentißimos, illorum potentiam evertere, & mira-*

 biliter

biliter ex morte, fractis omnium adversariorum viribus, liberare potest. Quemadmodum docent exempla multorum sanctorum, qui potenter & contra usitatum naturæ ordinem divinitus defensi sunt, & è faucibus mortis & inferni erepti. Sic deleto Pharaone, conservatur Moyses cum toto Israële: exstincto Saule, evehitur ad Regnum David: trucidato Senacherib, liberatur Ezechias & tota Hierosolyma: Achabo pereunte, respirat Elias; eversa potentia Chaldæorum, eximuntur periculis Iudæi: represso Antiocho Epiphane servantur reliquiæ populi DEI: & similia exempla infinita, quæ piis ante oculos perpetuò versari debent, ut discant Deum in ærumnis fortitudinem suam ponere, ab eo solo pendere, ejus opem implorare, quò tantò constantius ejus bonitati & invictæ potentiæ fidant & adhæreant.

Faxit æternus Deus ut et nos, qui sub ejus protectione commoramur, & sub umbra alarum ejus tuti & tranquilli in pace & prosperitate multos annos sedimus, paternam hanc defensionem agnoscamus, et in ipso solo repositam salutem amplectamur, eiq; gratitudinem nostram toto pectore declarare studeamus.

Psal. 91. & 61.

Haurietis aquas cum gaudio de fontibus salvatoris.

Quartum beneficium metaphora fontium describi-

describitur, ex quibus bona æterna & temporalia, veluti perenni fluxu, ad omnes præsertim fideles dimanare facit, ad quos etiam illi frequenter cũ gaudio properare et salutẽ haurire queant.

Observandum in hoc membro, primùm, quòd gratiam suam & beneficia Meßiæ, fontibus comparat: ut ostendat bonitatis divinæ ubertatem & fluxum, ad omnes decurrentem, inexhaustum & perennem esse: tum etiam ut efficaciam & dulcedinem aquæ ex hoc fonte fluentis omnibus reddat quam commendatißimam. Etenim ubertas fontis hujus tanta est, ut neq; exhauriri à quoquam nec per se arescere poßit, sed manebit & manabit in perpetuũ & emittet limpidißimas ac dulcißimas aquas salutares, quæ svaviter refocillabunt animas mœrore exhaustas per spiritum sanctum, qui etiam fons bonitatis & consolationis dicitur, eò quòd omnia nobis, quæ vel ad hanc præsentem vel futuram vitam sustinendam necessaria sunt, communicat, & ut aquæ vis est, sordes abluere & immunda purgare, sitientes potare, æstuantes refrigerare, sterilia fœcundare: ita per has aquas refectionis idem præstat spiritus, dũm lavacro regenerationis à congenita impuritate abluit, animas sensu peccatorum & damnationis æstuantes recreat, sitim spiritualem restingvit, mœrore confectas conscientias svaviter refocillat, sterilia corda donis suis fœcundat.

Esai. 41.

Hunc gratiæ, salutis & donorum omnium fontem, etsi inde usq; ab initio aperuerit DEUS *et pij omnium temporum ex ejus hauserunt et gustarunt dulcedine;* Ejus tamen verum *fluxum & venam exinde in plenitudine temporis scaturire fecit, quando exhibito in carne* Christo, *de plenitudine ejus, omnes acceperunt gratiam pro gratia, & remoto quasi operculo, clarius in verbo declaravit & reipsa præstitit, se fontem aqvæ vivenis esse, ex qvo qvi biberet, in æternum non sitiret, sed aqvam in se salientem in vitam æternam haberet: ac postea visibili signo idipsum confirmaret in ara crucis, quando ex vulneribus & aperto latere ipsius jam emortui, sangvis & aqua largè fluxerunt, quæ credentes in ipsum, mundant & sanctificant. Hunc ipsum salutis fontem, etiamnum omnibus esurientibus & sitientibus justiciam, in sacramento utroq;,* Baptismi & Cœnæ *mysticæ aperit, emundantem & obsignantem credentes per lavacrum illud regenerationis & effusi sangvinis ab omni inquinamento congenito & ascititio.*

Apoc. 13. Iohan. 1. Iohan 4. & 7. Matth. 11. 1. Ioh. 1. Ephes. 5. Zach. 13.

Porrò notandum, quod ex his fontibus vult nos haurire cum gaudio, *qua voce modum ostendit, per quem participes tantorum bonorum reddimur, nempè: ut alacri animo & summo cum gaudio ad hunc recurrentes, salutares aquas in vera fide hauriamus, hîc sitim nostram spiritualem ex*

lem, ex dolore & labore in hac molesta peregrinatione, per vallem lacrymarum, contractam, restingvamus: inde consolationem in periculis ac difficultatibus quæramus: hinc salutem & omnem benedictionem corporalem & spiritualem derivemus: ejus semper desiderio ardentes, obediamus DEO *exclamanti & nos ad has salutares aquas invitanti, cùm inquit: O vos omnes, qui sititis, venite ad aquas, & vos qui non habetis pecuniam, properate, venite & emite absq; argento. Et Psalm. 34. Gustate & videte, quoniam svavis est* DOMINVS. *Item Ioh. 7. Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Esai. 55.

Quocirca cavendum est, ne relicto hoc salutis fonte, cisternas nobis ipsis effodiamus, hoc est, repudiatis salvatoris hujus beneficiis, aliundè salutem quæramus, aut ad lacunas humanarum traditionum & superstitionum recurramus cum impiis istis, de quibus conqueritur DOMINVS *apud Ieremiam cap. 2. inquiens: Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ & foderunt sibi cisternas dißipatas, quæ aquas continere nequeunt.*

Magnus in medio tui sanctus Israël.

Quinta & ultima ratio, quæ excitabit piorum animos, ut laudem DEO *tribuant: est perpetua præsentia filij* DEI *in Ecclesia, in cujus medio seu intimis visceribus (ut sonat textus)*

tanquam gubernator & protector residet, nec unquam ab ea recedet, juxta promißionem Esaiæ 62. Non ultra vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata, quia complacuit DOMINO in te. Et Christus Matth. 28. Ero vobiscum usq; ad consummationem seculi. Item Matth. 18. Vbi duo vel tres in meo nomine congregati fuerint, ero in medio illorum. Verùm ne ipsum hospitem ociosum fore putarent, duo ipsi tribuit epitheta Esaias, effectum ejus in Ecclesia ostendentia.

Primum quòd magnus sit, & omnia quæcunq; velit faciat in cœlo vel in terra. Hanc magnitudinem atq; potentiam suam declaravit potißimùm (ut cætera taceam) destruendo regnum Satanæ, mortem vincendo, de hostibus gloriosè triumphando & pedibus suis eos subjiciendo: Tùm eandem adhuc, in finem usq; seculi exercet, defendendo Eccesiam, ne portæ inferorum adversus illam prævaleant. Matth. 16.

Docemur, perpetuum piis in DEO paratum esse præsidium, eum præstò esse semper, efficaciter operari in electis per verbum & spiritum, nec unquam eos deserere, ne in ipsa morte quidem Psalm. 91. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Zach. 2. Ego ero murus igneus in circuitu tui. Si itaq; Deus pro nobis quis contra nos. Roman. 8.

Secundum

Secundum epitheton Sanctus, *non solùm in se seu essentia sua, sed relativè seu suo effectu: dùm credentes à mundi cupiditatibus segregatos præparat, in peculium sibi sanctificat, & spiritu renovatas mentes suo cultui consecrat: ut sint vasa misericordiæ ipsius, sancti & inculpati coram ipso per caritatem, ut loquitur Apostolus. Precatur hoc ipsis* CHRISTVS, *Iohan.* 17. *Pater sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus veritas est.* Item, *Ego pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati per veritatem.*

Ostendit igitur quales requirat cultores, nempè sanctos & à profanitate hujus seculi separatos, juxta mandatum Levit. 19. *Sancti estote, quia ego sanctus sum. Tales de paterna sua inhabitatione in cordibus per ministerium verbi & sacramentorum usum, certos facit & singulari gratia spiritus sui, perpetuò illis præstò est, efficaciter erudiendo, consolando, protegendo, confirmando & tandem liberando illos: ut in vera fide & sanctitate hac, ad finem usq; firmi permaneant.*

DE SECVNDA.

Confitemini Domino, invocate nomen ejus.

P*osterior pars cantici continet exhortationẽ, (cujus etiam in propositione circa initium capitis*

capitis, mentionem fecit) *& mandatum de magnifacienda, extollenda & perpetuò deprædicanda bonitate* DEI, *stupendis operibus erga populum suum declarata. Ac primùm in genere præcipit, ut Judæi in palestina degentes cum gaudio & exultatione unanimiter in* DEI *conspectum prodeant, & in unum collecti omnes, uno ore & corde* DEI *laudes deprædicent, nec unquam beneficiorum memoriam ex animo deponant.*

Mox per apostrophen Sionis habitatores, *hoc est, electum illum cœtum, qui Hierosolymis habitabat, & in magnifico illo Salomonis templo sacra faciebat, nominatim compellat & mandat; ut si fortè alij hujus beneficij minus capaces vel etiam immemores essent, illi qui peculiariter ad id delecti sunt, in hoc magno Immanuele, defensore & sanctificatore suo jubilent & exultent. Nam cùm* DEVS *gratis absq; ullo merito & sine omni remunerationis spe, adeò benignus & liberalis erga illos fuerit, ut omnia quæ ad felicitatem vitæ præsentis & futuræ requirantur, eis abundè communicaverit; requirit vicißim ab universis & singulis, qui de fonte salutis ejus hauserunt, vt grati animi officia declarent, & alios etiam ad unitatem fidei colendam, & ad agendas publicè & privatim gratias, pro acceptis divinitus beneficiis, invitent.*

Celebra-

Celebrate *seu* confitemini.

Confiteri duo significat: gratias videlicet agere & laudem canere. Hic notandum quòd *primo loco collocat gratiarum actionem, quia necesse est ante omnia agnoscere & confiteri* DEUM *omnium bonorum fontem perennem esse, à quo omnis donatio bona & omne donum perfectum provenit. Vult hoc Propheta cùm inquit:* Tollamus *nobiscum verba & reddamus ei vitulos labiorum nostrorum.*

Iacob. 1.

Hose. 14.

Mandat igitur ut beneficiis DEI *innumeris, quæ de ejus manu quotidiè accipimus, ita afficiamur: ut nihil corde cogitemus, aut voce celebremus, nisi ipsius solius laudem & gloriam.*

Invocate.

Alter hic cultus est, ad quem præstandum hortatur Propheta, ut in vera agnitione DEI *& fiducia firma acquiescente in divinis promissionibus, petant & exspectent bona, cùm spiritualia tùm corporalia, seq; totos* DEO *committentes, aßiduè rogent, velit tantam ubertatem bonitatis suæ deinceps illis concedere, gratiam suam largiri, in adversitatibus adjuvare, adversus hostes illorum pugnare, ac vitam salutemq; perpetuam donare.* Ioëlis 2, *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Psal. 50. Ioh. 16. *Possent hæc copiosè extendi, si animus esset iis im-*

iis immorari, satis est extremos tantum rerum apices hoc tempore attigisse.

Annunciate in populis opera ejus, Psallite.

Tertium gratitudinis officium est commemorare, jugi voce apud quosvis prædicare et longè lateq; diffundere operum divinorum magnificentiam & illius memoriam in mentes hominum adducere, ut perpetuò vigeat apud omnes recordatio potentiæ, sapientiæ, bonitatis, justiciæ, veritatis divinæ; neq; unquam oblivioni tradant res gestas filij Dei: ut sunt, ejus humilis ad nos accessus, obedientia usq; ad mortem, mortem autem crucis, gloriosus ejus triumphus in resurrectione et ascensione, missio visibilis spiritus sancti, collectio gubernatio et defensio Ecclesiæ perpetua, donatio vitæ et salutis æternæ.

Hæc inquit propheta in publico cœtu annũciate, *in his nomen ejus exultate, hæc Psalmis hymnis & canticis ita celebrate, ut & vos ipsi & alij horum donorum participes facti, dignum* DEO *tribuatis honorem.*

Iubila & canta habitatrix Sion.

Quod in genere dixit, ad speciem restringit, sermonem convertens ad Sionem, hoc est, incolas urbis Hierosolymæ, ubi arca fœderis, seu propitiatorium, mandato divino servabatur, quę

DEI præſentiam & Meßiæ beneficia conferenda Eccleſiæ adumbrabat.

Hanc quoq; incitat, ut præ lætitia & exultatione concepta ex miranda liberatione & felicitate ejus, inſtar equi vel hœdi laſcivientis (id enim denotat vox metaphorica hoc loco) jubilet, cantet, ovet & ſibi gratuletur: quamvis adhuc ſit quod doleat, atq; in procinctu ſint Aßyrij, qui minas adverſus eos ſpirent, cædem ac interitum machinentur.

Rationem ſtatim exultationis ſubjungit, quòd magnus ſit in medio illorum, ac ſi diceret: Tu Sion dùm intra præcordia hunc reconditum ſalvatorem habes, non potes non in perpetua exultatione, tranquillitate, libertate ac ſpe verſari. Vbi enim præſens eſt DOMINVS: ibi etiam exultationis cauſa præſtò eſt.

Ex hoc loco docemur, DEVM velle in congreßibus publicis & viſibili cœtu beneficia ſua deprædicari, vocem ſuam audiri, preces pro publicis Eccleſiæ & privatorum ſingulorum neceßitatibus fieri, laudes ſuas decantari ac confeßionem edi: Vt hac ratione teſtentur pij, quem & qualem DEVM colant, declarent ſe à profanitate mundi hujus prorſus alienos eſſe: impiorum idolomaniam & profanorum ἐθελοθρησκείαν

ac opi-

ac opiniones fanaticas se detestari. Hæc causa erat quòd DEUS in populo suo unum tantum Tabernaculum & postea ejus loco, unum templum esse voluit, in quo populus certis conveniret temporibus ad cultum unanimiter ipsi præstandum. Huc respexisse videtur apostolus Ephesios adhortans, ut studeant servare unitatem spiritus per vinculum pacis. Unum namq; corpus, unus spiritus &c. una fides, unum Baptisma, unus Deus & pater omnium. &c.

Ephes. 4.

Quales ergò censendi sunt illi? qui templum rarò [vel nunquam adeunt, qui verbi prædicationem fastidiunt, qui sacra rident, qui nulla precum publicarum vel privatarum cura tanguntur, neq; sacramentorum usu sibi opus esse existimant: sed à corpore Ecclesiæ se prorsus sejungunt. Tales irrisores sciant se contumeliæ suæ pœnas tandem DEO daturos, nec unquam evasuros ultrices ejus manus: nisi per pœnitentiam conversi, salutis suæ in posterum cura seriò tangantur & debitum Deo honorem tribuant.

Secundò docemur cultum DEO omnium gratißimum esse invocationem & gratiarum actionem, quem omnes pij (cùm aliud quod rependant ipsis non suppetat) præstare jure tenentur: hunc etiam DEUS non modò severè à nobis requirit, sed & promißiones amplißimas eidem

eidem proposuit, neq; CHRISTVS pro immenso & incomparabili illo redemptionis humanæ beneficio, quo nobis æterna salus parta & communicata est, aliud à nobis postulat, quam ut memori & grata mente ac voce mortem ejus annunciemus, & ejus merita publicè deprædicemus, donec venerit. Hinc facilè liquet nihil apud DEVM, homini tàm crimini verti, nec quicquam inveniri, propter quod tam graviter irascatur, quàm si clausis oculis, ejus beneficia prætereat, & sepultis oblivione donis ac meritis ab ipso acceptis, de gloria ipsius suffuretur & ad propriam pernitiem iis abutatur.

Nos proindè qui per DEI gratiam conscripti cives in regno CHRISTI sumus, & per ejus sangvinem liberati, per meritum passionis patri reconciliati, quiq; consolationem & lætitiam per spiritum sanctum in cordibus nostris accensam sentimus, ex ejus præsentia opem & auxilium experimur: quotidiè de salutis fonte bona animæ & corporis (utpote, veram ejus noticiam, sanctam disciplinam, vitam, valetudinem, pacem, prosperitatem, rerum successum, salutem & omnem felicitatem) cum gaudio hauriamus; nos (inquam) totos ad ejus cultum comparare, ejusq; nomen invocare, gloriam totis animi & corporis viribus deprædicare, lingvam nostram ejus honori celebrando consecra-

re, magnificentiam nominis ejus commemorare, & laudes ejus semper et ubiq; vita ac voce divulgare oportet, aßiduè cum Psalmista seriò et ardenter optantes: ut sint verba oris nostri et meditatio cordis nostri grata in conspectu ejus, qui petra salutis, vindex et liberator noster est.

Ipsi mente, corde et lingva laudem et gloriam dicimus, nunc et in omnem æternitatem.

Amen.

LECTIONES
ET PRECATIONES
SINGVLIS DIEBUS recitandæ.

PRIMA DIE.

Loco Epistolæ Textus Apocal. 3. Scio opera tua quod neq; frigidus sis neq; fervidus. *Finis*, arguo & castigo.

Evangel. Marci 8. Et cùm ad se vocasset turbam cum discipulis suis, dixit illis: Quicunq; vult me sequi &c.

Finis:

Finis: ubi venerit in gloria patris ſui cum angelis.

O Du Alſomectigſte Gud/ wi arme Elendige Syndere bekiende din wſigelig Godhed oc Barmhiertighed imod oſſ/ At du aff din ſtore Kierlighed/ ſaa inderlig elſker oſſ/ oc handler imod oſſ ſom en Hierte kiere Fader imod ſine vankundige Børn / i det du ved dit Ord paaminder oſſ/ met dit Faderlig Rijs tucter oſſ / ved din Langmodighed ſtaar oc bancker paa vore Hierters Dørre / foruentendis tid effter tid/vor Poenitentze / oc legger høyeſte flid paa at omuende oc saliggiøre oſſ. Wi bekiender oc begræde vore Hierters haardhed oc ſtore Wlydighed/ at wi ſaadan din Faderlig Paamindelſe icke actet haffuer/ men ſom moduillige Børn / veret dig gantſke wlydige. Wi bede dig / for din kiere Søns vor Saliggiøreris Jeſu Chriſti ſkyld / Tilregne oſſ icke

 ſaadan

saadan vor Ondskaff / Men ver oss mild oc naadig / formedelst din Hellig Aand opliuse vore mørcke Hierter / oc opuecke vore søffnactige Oyen / at wi i Naadens tid maatte staa aff vore Synder / begræde vore offuertrædelser / afflegge mørckhedsens gierninger / bliffue faste i Troen / vandre i dit Lius / oc bliffue euige salige. Du som leffuer oc regnerer met samme din Søn oc den hellig Aand / en sand Gud i Enighed / Amen.

SECUNDA DIE.

Epistol. Apocal. 3. Æmulare igitur &c. *usq; ad finem capitis.*

Evang. Johan. 10. Facta sunt encœnia Hierosolymis &c. *Finis:* Ego & pater unum sumus.

O Milde JEsu Christe / du som formedelst din wskyldige Pine oc Død haffuer igienløst oss / oc i dit hellige Ord tilbiuder oss Syndernis forladelse / Retfærdighed oc euig Salighed. Wi bede dig ydmyge-

ydmygeligen / hielp oss / at wi met trofaste Hiertær annammer saadan dine velgierninger / vdi en sand Poenitentz omuende oss til dig / høre din røst oc bedre vort syndige leffnet. Giff naade / at wi kunde ved en stadig Tro oc Lydighed / obne voris hierters døre for dig / oc værdis du til fromme Jesu at komme oc bliffue hos oss / i denne bedrøffuelig sidste Verdsens tid / vederquege du vore Hiertær / oc styrcke oss / at wi kunde altid beuaris i din sande Fryct / Oc icke offueruindis aff Dieffuelen / Verden / Kiødet eller nogen Fristelse / Men bliffue hos dig bestandige / oc formedelst dig beholde Seyeruinding / Saa wi effter dette timelig / kunde anammis i din Faders euige Rige / der at bliffue hos dig Euindelige i all Glæde oc Herlighed. Du som leffuer oc regnerer / etc.

*

TERTIA DIE.

Loco Epistolæ, Esaiæ 12. *caput totum.*

Evangel. Johan. 4. *Init:* Venit ergò in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar. *Finis:* Vt non sitiam, neq; veniam huc ad hauriendum.

O Naadefulde oc Trofaste Gud / som est vor Tilfluct/ Styrcke oc Salighed / som haffuer Retfærdeligen veret Vred oc met rette kunde forderffuet oss for vore mangfoldige Synders skyld. Wi hierteligen tacke dig / at du aff din grundløse Naade haffuer forbarmet dig offuer oss/ oc icke handlet met oss som wi fortient haffde. Men for voris kiere Meglers JEsu Christi Forbøns skyld / omuend din vredis grumhed til Naade / met huilcken du trøster oss/ oc lader din Salighedes Kilde vdflyde met Timelig oc Euig Godhed til oss / for huilcke wi ydmygeligen tacke dig/ oc bede / At du vilt fremdelis hielpe oc beskerme oss /

oc icke tilstede at samme din godheds Kilde/som endnu Kundeligen flyder hos oss / tilstoppis eller fortørris for voris Ondskaff oc wtacknemmelig-heds skyld / Men at din velsignelse/ Aandelig oc Legemlig maa vdflyde til oss alle oc huer/ besynderlig til vor Naadigste Herre/Koñing Christian/ oc hans elskelig Dronning Anna Catharina/ Til hans Naadis Høy-baarne Fru Moder oc gantske Kon-gelig Hus / saa oc til Rigens Raad/ vor kiere Offrighed / oc til menige Vndersaatte/paa det wi alle maa be-komme din Hielp/Naade oc Besker-melse. Saa ville wi tacke/paakalde/ prise oc videlig vdsprede dit hellige Naffns ære / her oc i Himmerig/vdi all Euighed. Du som leffuer oc regnerer en sand Gud/ fra euighed til Euigtid/

A M E N.

Lege:

D 5.b. linea 9. pro Israeliticum, *Judaicum.*

D 6. a. lin. 19. pro Israelitis, *Judais.* et sic deinceps.

PVBLICA PRECUM SOLENNITAS AD 28. 29. & 30. DIES OCTOBRIS ANNI 1601. indicta

Mandato serenißimi ac potentissimi Regis

CHRISTIANI IV.

per

REGNA DANIÆ, NORVEGIÆ & Ducatus ac ditiones Majestatis ejus Imperio subjecta.

P. J. W.

Deut. 32. vers. 29.

Vtinam sapientes essent & intelligerent ac novißima sua providerent.

HAFNIÆ
Typis Henrici Waldkirchii.
Cum Privilegio 1601.

Filio meo charissimo Dn°: ...

Ambrosius

Novit Dominus mutare sententiam,
Si tu noveris emendare delictum.

CON-

CONCIO PRIMÆ DIEI.

Textus Psal. VII. vers. 12.

DEus justus Judex, fortis, qui minatur per singulos Dies.

Si non conversus fuerit impius, gladiũ suum acuit, arcum suum intendit & direxit illum.

Et sibi paravit tela mortis: sagittas suas ardentes effecit.

Ecce parturit injusticiam, concepit ærumnam & pariet mendacium.

Foveam fodit & effodit eam: & incidit in foveam quam fecit.

Convertetur labor ejus in

caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justiciam ejus, & psallam nomini Domini altissimi.

Apoc. 20. 8.

PRædixit D. Iohannes Satanam ante novissima tempora, è suo carcere solutum iri, & exiturum, ut seducat gentes, quæ sunt in quatuor angulis terræ, Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorum numerus est velut arena maris, & ascensuros eosdem super latitudinem terræ, & circumituros castra sanctorum & urbem dilectam, & tandem descensurum ignem à Deo de cœlo, qui devorabit eos, & Satanam seductorem conjectum iri in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

Quibus monet dilectus ille Iesu Christi Apostolus, tantam fore ante extrema secula, Diaboli potentiam & rabiem, ut quasi solutus vinculis, quibus antea, ab eo, qui clavem habet abyssi, constrictus tenebatur, liberè & effrænè grassaturus sit, in omnium ordinum homines per universum terrarum orbem, ad seducendum &

per-

perdendum eos. Præcipuè verò ipsum contra vrbē dilectã, id est, Christi Ecclesiam extrema tentaturum dicit, occultè & apertè, quam opprimere & funditus delere conabitur, per Duces belli sui Gog & Magog, hoc est, hostes Christi tectos & detectos, domesticos & extraneos, Gentes barbaras, Turcas, Tyrannos, Antichristum, Hæreticos & similes, qui vel Deum apertè deseruerunt, vel simulato ejus vero cultu ad idololatricas superstitiones, atque mundi hujus illecebras, deflexerunt: per quos hoc acturus est Satan, ut hypocrisi, apostasia, odiis, dissidiis, falsa religione, & omni peccandi licentia, plurimos, etiam ex illorum grege, qui pietatem præ se ferunt, seducat, occupet, possideat, & magna mundi agmina in æternas blasphemias, & diros inferni cruciatus abripiat.

Hinc est quòd jam dudum, multorum animos, in nefandam impietatem & profanam securitatem, transversos agat, quòd pietas, fides, timor religiosus & sacer Dei cultus, à multorum etiam Christianorum procul negotiis, domibus, templis, cordibus exulare cœperint: adeò, ut nulla ferè emendationis spes, nulla melioris fati expectatio (ni Deus meliora ante adventum suum tempora, & seculum purius constituere voluerit) reliqua esse videatur, quin potius majorem corruptionem sequuturam, ipsa temporum

ſemper in pejus mutatio, & ipſa dierum creſcens malitia nos docet quotidie. Augetur (inquit Ambroſius) ipſo uſu malitia, ſine moderatione, ſine fine. Et Lactantius prolixè de his agens, inter alia inquit: Propinquante hujus ſeculi termino, humanarum rerum ſtatum commutari neceſſe eſt, & in deterius, nequitia invaleſcente, prolabi: ut etiam noſtra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia usq; ad ſummum gradum crevit, in illius tamen inſanabilis mali comparatione, felicia & propè aurea poßint judicari. Ita enim iuſtitia rareſcet, ita impietas & avaritia, & cupiditas & libido crebreſcẽt, ut ſi qui tũ fortè fuerint boni, prædæ ſint ſceleratis, &c.

Lib. 7. Inſtit. cap. 15

Sed quid poſt hæc futurum? quid ſubſecuturum? Nihil profectò aliud, quàm ut deſcendat ignis à Deo de cœlo, & devoret eos, & mundus ille univerſus, cum ſuo Coryphæo Satana & Beſtia & Pſeudopropheta, iisq; qui acceperũt characterẽ beſtiæ in frontibus & in manibus ſuis, non ſolùm Spiritu oris Chriſti (qui ante finale judicium ſuum, in modum ignis ſubvertet & conſumet eos) *conficientur: ſed & conjicientur in ſtagnum ſulphuris & ignis gehennalis, & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.*

Hic finis erit omnis malitiæ, hic impietatis

exi-

exitus: sicut dicitur: Succendetur ignis in excandescentia mea, & ardebit usq; ad infernum inferiorem, devorabitq; terram & fructum ejus &c.

Deut. 32. 22.

Neq; hîc mirabitur quis, quod non ilicò ignem indignationis suæ accendat, aut iram è vestigio exerat Deus, sed scelerum admissorum, & judicii sui quasi oblitus, ad peccata mortalium, cõniveat & pœnam differat: unde in sua sibi malitia applaudunt impii, tamquam impunè sint abituri. Verùm hîc cogitabunt nondum completum esse tempus, quo Deus mundum hunc malignum tolerare constituit, ut imposturam suã in eo ostendat, ac mysteriũ iniquitatis proferat seductor: Nihilominus tamẽ jam dudũ ultrices flãmas paratas & repositas esse ipsi Diabolo & membris ejus, à Domino cœli & terræ, cujus manus armata est invicto robore & potentia, quemadmodũ hodierno textu docet David, dum ait ipsum gladiũ acuisse, arcũ intendisse & tela parasse ignita & lethalia, quib. pœnas de inimicis suis sumet, iis præsertim, quicunq; sibi proponunt ejus abuti patientia, quã ex immensa misericordia singulis momẽtis declarat, nolens mortem peccatoris, sed ut cõvertatur & vivat. Ac propterea tot iræ suæ signa & indicia, impendentium malorum præsagia certissima, præostendit: tot etiam clamores & admonitiones piorum ministrorum præmittit: ut iis

Ezech. 18. 32. & 33. 11.

 com-

commonefacti, ad horrendas comminationes ejus contremiscant & emendentur, nec ulterius patiantur, se impiissimi mundi exemplo à Satana seduci, in flagitia eorumq; pœnas acerbissimas abripi.

Quod utinam & nos in hac summa perturbatione generis humani, & malorum Euripo penitius consideraremus, atq; gravissimas cominationes divinas adversus impœnitentes, assiduè in animis versari pateremur, verè vitam nostram emendaremus.

O si perpenderemus, quàm formidabilis res sit ira Dei, & quàm horrendum judicium ejus, non dubito quin salutari pœnitentia, errata nostra expiaremus, & Deum precibus fatigaremus, ut nos miseros, inopes & infirmos, spiritus sui robore confortaret, mentesq; nostras formidolosas confirmaret, ne ingruentibus tot periculis, tantisq; malis nos undiq; circumvallantibus, metu & mœstitia fracti conciderenus, nec nobis fortè non putantibus, salutemvè nostram negligenter curantibus, aut de divini judicii rigore non cogitantibus supervenirent ex improviso mala hæc extrema, tandemq; cum obstinatis & improbis in exitium & gehennalis ignis voraginem provolveremur.

Mentibus ergo in cœlum erectis, ad seriam resipiscentiam, hocce præsertim tempore, quod

Serenissimus Rex, pro sua in Deum religiosa devotione, & clementissima in subditos dilectione, motus præsentium temporum calamitatibus, piis exercitiis destinavit, animos præparemus, suppliciter deprecantes, quas peccatis nostris pœnas accersivimus, ac præveniendo horribile ejus judicium, ad fontem misericordiæ confugiamus, foventes in animis nostris spem, fore ipsum nobis propitium propter Christum, qui sua innocentia perfectè satisfecit fidejussioni & promisso pro nobis vadimonio, quiq; suam ultrò justitiam, spiritum, opem & salutem impertit credentibus.

Summa
Concionis hodiernæ.

David exitium impiis, piis verò oppressis liberationem denunciaturus, argumentum à Dei descriptione profert, & de ejus cùm justo judicio, tùm patientia in ferendis ad tempus sceleratis, concionatur. Utq; hos doceat, quo cum negocium ipsis futurum sit, & qualem habituri sint aliquando vindicem, proponit tanquam in tabella Deum armatum gladio polito, arcu tenso, & spiculis ignitis ac mortiferis, & propterea ut in tempore resipiscant hortatur: Illos verò consolatur, ut de ejus paterna protectione & defensione minimè dubitent, cùm nullo modo injurias suo nomini aut Ecclesiæ illatas ferre possit, aut soleat:

 sed

sed tandem efficere, ut piis gloriosè liberatis, nefarii hostium conatus ad æternum exitium, in capita autorum recidant.

Tria in hoc textu sigillatim exputanda nobis erunt:

I. Describit Psalmista quibusdã proprietatibus Dei naturam, & officium erga pios & impios, hos puniendo, illos defendendo.

II. Gravissima est Spiritus sancti admonitio ad totũ genus humanum, ut resipiscant, ratione à magnitudine impendentis periculi sumptâ.

III. De vano & irrito conatu Impiorum in opprimenda Christi Ecclesia.

De Primo.

DEus justus judex) *Initio Deum justum judicem asserit, hoc est, talem, qui personam neq; accipiat, neq; ullius hominis respectum habeat, sed justißimè adversus scelera hominum, in sese & Legem suam delinquentium, commovetur, & servat rigidißimè in executione eiusdem Legis suæ, constitutã sua voce normã,*

Deut. 10 17.

seve-

severè flagitās & præmiis ornans obedientiā erga eā, & puniens regulariter atrocia scelera atrocib. suppliciis, in hac vita & æterna, nisi fiat remißio propter Christum. Quemadmodum testatur Moses: Deus fidelis & absque omni iniquitate, iustus & rectus.

Deut. 32. 4.
Psal. 10. 7. & 119. 137.

Opponit autem Psalmista hæc, hominibus profanis & impiis, qui vel nullum Deum esse, vel si quem esse cogitant, eum ignavum & stupidum, res humanas minimè curantem, iudicant. Quales à Davide introducuntur, dicentes: Dominus non videt, nec Deus Iacob intelligit. Item, Impius præ superbia iræ suæ non quæret, non est Deus, sunt omnes cogitationes eius. Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam non videbit in æternum. Tum etiam eos refutat, qui Deum crudelitatis & iniusticiæ ideò incusant, quòd videant homines palàm sceleratos, non è vestigio puniri, aut ad iusta rapi supplicia, sed eos interdum diutiùs læta uti fortuna, rebus omnibus ad voluntatem eorum fluentibus: Contrà vident insontes, pios & bonos, ærumnis affligi, odiis & calumniis premi, atq; in atroces calamitates incidere. Vnde falsò concludunt hos Deo curæ non esse, sed ab illo negligi, & præsidio eius destitui, illorum verò impietati ipsum favere, & peccatis delectari.

Ps. 94. 7.
Psa. 10. 4.
v. 11.

Ideò argumentū hoc à Dei severißima iusticia pro-

profert, qua utitur cùm in defendendis piis, tum puniendis & è medio tollendis hominibus conſceleratis. Quam etſi non ſemper exercet, de noſtræ voluntatis cœco impetu: dubium tamen non eſt, illum tanquam judicem ante januam perpetuò ſtare, tribunal ſuum ſemper paratum habere, & plena eſſe juſticia & judicio, quæ facit, univerſa.

Iac. 5.9.
Pſal. 9.9.

Ac propterea mundum nunc judicans, ſingulis prout vult & merentur, rependit, & poſt finaliter judicaturus, reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, juxta prophetiam Enoch, Dominus veniet in ſanctis millibus ſuis, ut faciat judicium, &c. Proverb. 24. 12. Eccl. 3. 17. Ioh. 5. 29. Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. Dan. 20. 2. Matth. 16. 27.

Iudæ epiſt. 14.

Hæc eò ſpectant ut mortales videntes & audientes divinas comminationes, exhorreſcant tremendum judicium hoc, & agnoſcant juſtiſſimam ſeveritatem Dei vindicis, qui non inultam abire ſinit ullam impietatem, etſi lento ad vindictam gradu procedat. Idem enim Deus heri & hodiè, immutabiliter talis eſt, qualem ſe voce ſua expreſſit. Quæ vult, approbat, & quæ præcipit, efficit in aliis. Quæcunque verò cum hoc ordine & norma juſticiæ ejus pugnant, neque vult, nec operatur, nec probat, nec adjuvat: ſed horribiliter odit ac deteſtatur, ut in

Pſal.

Psal. dicitur. *Odisti omnes operantes iniquitatem.* Psal. 5. 7.

Necesse est igitur, quicquid deliquerunt homines, prodire in medium, ubi Deus tribunal suum conscenderit, & ad normam justitiæ omnia facta mortalium expenderit, ad cujus conspectum cum ventum fuerit, non erit qui per sese illic subsistat.

Fortis.

Attributum hoc additur ad exprimendum immensum robur & invictam Dei potentiam, qua latißimè & efficacißimè cunctis in hoc universo, Cœlo, Terra, Mari dominatur, adeò ut cœlestia omnia & terrestria ipsi irato subserviant, ubi vel solo nutu imperarit.

Hæc autem ideò dicit: I. *Vt discernat hunc Deum ab Idolis, simulachris, & fictitiis Numinibus gentium, in quibus nulla vis est, nullus sensus aut motus, nec ideò quicquam efficere queunt, Deus autem quæcunq; voluit, fecit in cœlo & in terra.* Psal. 115. 3.

II. *Vt hac potentiæ repræsentatione hostes terreat, & ad pœnitentiam provocet, cum videant se incassum θεομαχεῖν, neq; ullo modo Dei fortitudini reluctari posse.*

Cogitent igitur impii sibi rem fore non cum Deo ignavo, imbecilli aut stupido, sed cum cœli

& terræ

& terræ Domino, qui potentia & fortitudine insuperabili instructus, hostes suos facillimè debellare & prosternere potest, Et ut ipse Christus loquitur: Corpus et animam in gehennam mittere.

Exod. 15. Acto. 9. Matth. 10. 28.

Minatur per singulos Dies.)

idq; his modis:

1. Verbo suo, quo tendunt omnes Prophetarū, Christi, Apostolorum, omniumq; piorum quovis tempore ministrorum clamores et comminationes. Levit. 26. Deut. 28. Esa. 10. Mat. 23. &c.

2. Ostendendo manifesta indicia iræ suæ in omnibus ferè creaturis, cœlo, elementis, hominibus, brutis. Joel. 2. Luc. 21. Matt. 24.

3. Proponendo horribilia & tragica exempla multorum hominum miserè pereuntium, quæ visibilia sunt iusti iudicii symbola adversus peccata. Gen. 6. & 19. Exo. 15 Luc. 13. & 19.

4. Variis & insolitis plagis & morborum generibus homines mulctando. Exod. 7. 8. 9. 2. Sam. 13.

5. In conscientia uniuscuiusq;, quæ ut scelerum testis & iudex est, ita terret, accusat, damnat, & pœnam semper ante oculos ponit. Gen. 4. 1. Sam. 31. Matth. 27.

Per singulos dies.

Hoc etiam impiorum cavillis opponit, qui securè Deum subsannantes, nihil sibi metuendum

ideo

ideò persuadent, quod non subitò iudicia exerceat, & iræ suæ tela hominum more mittat. Ideò mora eventus prædicti, securitatem in animis auget, μακροθυμίαν eius contemnentem, iuxta proverbium, quod in domo Israël usurpari solebat, teste Ezechiele. Quia eventus tam diu differtur, inanis erit visio. His respõdet David, Deũ iusticiã & irã hanc suã nõ præcipitare, nec statĩ pro suo rigore homines ob delicta perdere, sed iudicii sui sententiam sæpius, imò per singulos dies intentare, deq; die in diem pœnas differre, ut & pœnitentiæ locum concedat, & inexcusabiles reddantur obstinati, qui eius bonitate abutuntur. Interea nihilominus probè observat & aßignat in suis rationibus, quidquid agunt scelerati, & tandem rependet in capita ipsorum.

Ca. 12. 22

Ecclesiast. cap. 8. 11.

Doctrinæ.

I. Monemur hoc loco, instare iudicium, quo iusto huic iudici dictorum factorumq; nostrorum ratio reddenda est, cuius rei memoria nos maximè frænare debet, ne in vitiorum præcipitia ruamus: aßiduè cogitantes illud Jobi: Quid respondebo illi, cum surrexerit ad iudicandum?

Job. 31. 14.

II. Deum vindictam suam non cœco impetu, more hominum, sed iustißimo iudicio exercere, et interdum pœnas suspendere ut bonitatem ostendat:

6. homil. de milit. Christ: dat: *Quantum (ait Chrysostomus) te peccantem, ut convertaris, expectat bonitas indulgentis Dei: tantum in te, (nisi conversus fueris) ejusdem judicis censura procedet.* Ejus igitur longanimitatem ita consideremus, ut admonitionibus divinis cedamus, vitæ pravitatem emendemus, nec pœnitentiam extrahamus in ultimam senectutis metam: Etenim

——— Nil proderit ulli
Tunc finem posuisse malis, cùm terminus urget
Præsentis vitæ, & peccata relinquere primùm
Cùm peccare nequit.

III. *Cùm sciamus Deum justum esse & habere justas causas, cur suos interdum exerceat durius: ideò patienter nos ejus voluntati subjiciamus, & ærumnas sine fremitu feramus, humili ac sincero corde confugientes ad ipsius misericordiam, cum Mauritio Imperatore jugulum præbente carnifici, dicentes: Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Psal. 119. 137.

IV. *Consolatur præterea hac concione pios & terret impios: denuncians his certissimas pœnas, quas impietas, contemptus religionis & ministerii, atque contumacia in atrocibus delictis merentur. Illis verò spem facit, fore ut Deum sentiant pro-*

picium

picium defensorem & liberatorem ex omnibus ærumnis. Tanta est enim ejus potentia, ut nulla cum difficultate poßit, & hostes Ecclesiæ reprimere, & suis opem ferre: ideoq; ipsi soli (præsidio quamvis humano in universum destituti) fidamus.

DE SECUNDO.

Si non conversus fuerit impius, gladium suum acuit, &c.

INsignis est hypotyposis, qua velut in imagine pingit justum hunc judicem Deum, tanquam fortißimum gigantem & bellatorem peritißimum, armatum gladio acuto ac probè polito, & arcu non quidem remisso sed tenso & retorto, cui superimposita sunt tela lethifera, neq; unquam ipsum collimando à scopo aberrare, sed certò ferire & prosternere omnes ad quos spicula sua dirigit.

Duo hîc expendamus.

1. Quid interea, dum homines in peccatis proterviunt, agat Deus? hoc scilicet: acuit gladium, arcum intendit, & parat tela mortis.
2. In quos ea dirigit?

Initio tria ponit instrumenta, quæ Deus præparare dicitur, Gladium, Arcum, & Sagittas. Volens his metaphoris exprimere atroces calamitates & pœnas horribiles, reprobis à Deo pòst infligendas externè & internè.

Externè: *per gladium, quo impii mactandi sunt, ideoq; illum strictum & politum dicit.*

Per arcum tensum, & spicula ignita, notat internos cruciatus, quibus iidem conficiendi sunt.

Vult itaq; hac armorum varietate significare finalem internecionem, & πανολεθρίαν, adeò ut nihil ad spem salutis sit futurum impiis residuum. Deum etenim non leviter iratum fore dicit, ac si offenderetur exiguis delictis, sed insolito iracundiæ modo, & tam graviter eos esse puniturum, ut videri poßit omnia sua arma expedivisse, omnes suas vindictas exeruisse, & posuisse eos tanquam scopum ad quem omnia sua tela dirigere statuit. Sicut dicitur: Ego Dominus *magnam vindictam exercebo, & in æstu iræ meæ puniam eos.* Item, Congregabo ad*versus eum in cunctis montibus meis gladium, ait* Dominus. *Gladius uniuscujusq; in fratrem suum dirigetur & judicabo eum peste, sanguine & imbre vehementi & lapidibus immensis, ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius.*

Ezech, 25. 17. & capit. 6. 11. ca. 33. 21

jus. Item, *Vorabit eos gladius & satiabitur & inebriabitur sanguine*. Item, *Ruet gladius in civitates ejus, & consumet vectes ejus & devorabit eos propter consilia eorum.* Ier. 46. 10

Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes. Deut. 32. 42.

Tetendit arcum suum, & statuit me signum sagittæ suæ, induxit in renes meos filias pharetræ suæ. Thren. 3. 12.

Item Psal. 18 Psal. 64 Job. 11 10.

Pœnam igitur (*ut dixi*) *minatur hac acerbißima concione, quibusvis hostibus suis extremam & quidem tam gravem, ut nulla pars exterior vel interior futura sit salva, donec tandem ruent ex præsentibus pœnis in æternos cruciatus.*

Secundò, in quos sæviet, & tam gravi impetu arma stringet Deus? Nempe in omnes, qui non conversi fuerint, hoc est, qui nullo sensu peccatorum, aut Dei metu tacti, cum ipso quasi bellum gerunt, illius verbum despectui habent, minas ejus irrident, & contumaciter in delictis perseverantes, ipsum destinatâ malitiâ ad vindictam provocant. In tales terribile hoc comminationis fulmen dirigere, & pòst totum furoris sui poculum effundere, telaq; mortis ad eos confodiendos, torquere statuit. Quid enim aliud expectandum

tam duris cervicibus, tam erectis collis, tam protervis mentibus? quam ut irâ divinâ obruantur & prorsus absumantur.

Hæc vel sola causa erit, quæ nos ad maturandam pœnitentiã excitabit: quod procrastinatione veræ resipiscentiæ, & levi æstimatione denunciatarum comminationum, & plurimorum scelerum, iræ Dei horrendæ & atrocium pœnarum thesaurum pernitiosum nobis colligimus. Rom. 2. 5.

O ferrea pectora, quæ non moventur hoc fulmine comminationis divinæ, O insanos nos & miseros, qui tantum periculum, nec animadvertimus, nec curamus. Videmus non obscura indicia hujus iræ in magnis bellorum motibus, in magna Rerumpub. & privatarũ confusione: videmus quodammodo naturam ipsam, cladem maximam humani generis præsagire: sed quis ad ea commovetur? Quis vocantem & minantem Dominum formidat? Quis credit auditui nostro? Rom. 10. 16. *si quando suspendit iudicia sua, vel ubi sibi moderatur ne statim pro meritis pœnam irroget, mox evanescit omnis timor, & si qua est pœnitentia, frigida est & simulata. Quia igitur simplex castigatio non satis nos ad pœnitentiam solicitat, nec sentimus ictus nisi sint mortiferi, sæviet propterea vindicta Dei gravissimo impetu, & lethales plagas nobis brevi inferet, atroxq; judicium adversus nos instituet.*

Omnes aliæ circumquaq; nationes duriter hodie castigantur propter peccata. Quare injustum & inæquale esset, nos nihil nisi suave otium sentire, qui non minus hodie Epicurei sumus & vivimus, & iram Dei nostris peccatis accendimus, quam quivis scelerati alii.

Debet propterea hæc acerba Spiritus sancti concio nos hodie excitare, & ad resipiscentiam exstimulare, ne virga illa paterna, qua hactenus usus, parùm in nobis emendandis profecit, vertatur in tela mortifera, & gladium omnia prosternentem & delentem, sicut minatur Amos 8. Gladio morientur omnes peccatores.

Nobis sequentia documenta suppeditat hic Locus.

I. Paratam & repositam esse jam dudum vindictam Dei contemptoribus, ut qui obstinati sunt in malitia, nunquam effugiant manum Dei armatam telis mortiferis, sed tandem obruantur horrendis terroribus & in extremas miserias demergantur.

II. Comminationes divinas non esse brutum fulmen, sed vocem Domini tremendam, qua vult nos affici, ut veritatem verbi ipsius, tàm in minis, quàm in promißionibus agnoscamus. Etenim nihil magis displicet Deo, quàm belvinus ille stupor, quo correpti impii, neq; agnoscunt percutien-

Esa. 9. 13. tem se, neq; ad eum revertuntur. Percußisti eos,
Iere. 5. 3. & non doluerunt.

III. Quæcunq; nos circumstant pericula & adversa, arma Dei esse: quæ non fortuitò mortalibus accidunt, sed ipsius manu diriguntur, non secus ac sagittæ in manu fortis bellatoris, in hostem oppositum, tanquam ad scopum rectâ diriguntur & torquentur.

Hinc est quod nunc cœlum & terram armat, tabe lethali aërem inficit, hostes contra nos incitat, & ex omnibus elementis exitii materiam profert.

IV. Comminationes divinas intelligendas esse cum exceptione pœnitentiæ & conversionis: Sicut enim inexorabilis est adversus reprobos & impœnitentes, sic gratiam suam declarat erga eos, qui sibi in peccatis displicent & seriò resipiscunt. Cessat (inquit Augustinus) vindicta divina, ubi conversio præcurrit humana.

V. Finem omnium impiorum, esse interitum. Ita enim rigidè cum ipsis acturus est Deus, ut nihil prorsus remittat, quod ad finalem eorum deletionem spectare videatur.

DE TERTIO loco.

TErtius locus est de vano & irrito conatu omnium hostium Ecclesiæ: Qui etsi concipiant

ærum-

ærumnam, parturiant injustitiam, pariant mendacium, foveam effodiant, atq; retia sua pandant in capturam innocentium, nihilq; non suis malis artibus ac dolis in perniciem piorum die & nocte machinentur: nihil tamen efficient aliud, suis vafris conatibus, & exitiosis machinationibus, quàm ut sibimet ipsis exitii materiam parent, ac tandem suis capti retibus, horrendis cladibus implicentur, & ignominiosis mortibus deleantur. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum constringetur. Item, Foveam fodiens incidet in eam, &, Volvens saxum, in ipsum revertur.

Prov. 5. 22
Ca. 26. 27
Eccl. 10. 8.

Fide igitur ac spe præsentiæ Dei discamus superandas & contemnendas esse fidelibus omnes Impiorum fraudes & minas, cum Deus indesinenter suis adsit in omni tribulatione, velit Ecclesiam & ejus reliquias sub clypeo umbraculoq; suo tueri, fovere, ac demum ex cunctis plenè periculis & angustiis eripere: hostibus interea miserè pereuntibus & dignas pœnas luentibus, ut docent exempla Pharaonis & Ægyptiorum, Absolonis, Aman, Judæ & similium qui sibiipsis consiliis malis interitum accersivére, & ut Psalmus inquit, Demersi sunt in foveam quam fecerunt, & in reti quod absconderunt, captus est pes eorum.

Exod. 15.
2. Sam. 18
Esdr. 7.
Matth. 27
Psal. 57. 7
Psal. 9. 16

Cantabo.) *Concludit Psalmum* Δοξο-λογίᾳ, *promittens se laudes* Dei indies *ardẽter celebraturum, nomenq; ejus summis ac perpetuis laudibus ob præstita beneficia liberationis, elatu-rum. Quo nos monemur exemplo, ut grata mente ac voce, ejus erga nos clementiam deprædicemus, & paternam protectionem, ab ærumnis liberationem, & reliqua dona ac bona corporalia & spiritualia, dignis laudibus in in cœlum, voce & affectu evehamus. Ipsi gloria in secula, Amen.*

CONCIO SECUNDÆ DIEI.

Textus Hæb. 4. 16.

ACcedamus igitur cum fiducia ad thronum Gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus ad oportunum auxilium.

COntemplati ſumus heri Deum judicem juſtum per ſingulos dies impiis minitantem, armatũ invicto robore, inſtructum gladio acuto, arcu tenſo, teliſq; lethalibus adverſus omnes impœnitentes, quos punire & finaliter perdere conſtituit, cùm in vita præſenti, tùm tandem in horrẽdo illo judicio, quando eos ex rigore ſuo, in exitium æternum deturbaturus eſt.

Verùm enimverò cùm hoc judicium Dei abſolutè & ſine mediatore, cum hominibus peccatoribus agentis, adeò terribile ſit, & natura humana peccato adeò depravata, ut abſq; terro- re &

Ps. 130. 3. re & interitu æterno, illud sustinere non possit,
Psal. 9. 5. quemadmodum dicitur: *Sedisti super thronum qui judicas justiciam, increpasti gentes, & perdidisti impium, nomen illorum delevisti in æternum & in seculum seculi*: Monstrat Apostolus hodiè alium thronum, non quidem districtæ justiciæ Dei, sed immensæ gratiæ & misericordiæ, Christum Jesum. Quem proposuit Deus ἱλαστήριον in sanguine ejus, cui etiam pater omne judicium dedit. Hic interventu sui infiniti meriti & intercessionis perpetuæ, placat offensum Deum, & efficit ne secundum peccata nostra faciat aut retribuat nobis nevè intendat totam iram suam, aut in furore nos arguat. Ejus rei causa vocat ad se omnes peccatores, lapsos erigit, infirmos sustẽtat, reos & dãnatos justificat, pollutos sanctificat, ereptos ex potestate Satanæ donat spiritu suo sancto, daturus tandem ipsis immeritis, ex gratia salutem, vitam & gloriam æternam.

Rom 3. 25.
Ioh. 5. 22.
Ps. 78. 38
Psal. 6. 1.

Cùm autem et nos habeamus privilegium provocationis ab hoc tribunali severæ justitiæ Dei & throno illo terribili, in quo regnat ira, indignatio, anxietas, afflictio & damnatio juxta legis sententiam, ad thronum infinitæ gratiæ & misericordiæ Dei: sequamur hodiè Apostoli consilium, ut cum sancta audacia per fidem vivam, freti hujus summi sacerdotis merito & intercessione eũ acceda-

ceda-

cedamus, nihil de ejus erga nos voluntate dubitantes, cùm semper paratißima fit ad oportunum auxilium præstandum & ferendum, omnibus debito tempore accedentibus.

Describit autem hîc accessus hujus modum & causas cum materialem tum finalem, paucißimis quidem verbis, sed significatione amplißimis, de quibus in explicatione textus dicemus, quinque circumstantias ad instructionem et consolationem nostri elicientes.

I. Prima circumstantia habet salutare consilium Apostoli, ut accedamus.

II. Secunda, quomodo affecti esse debeamus.

III. Tertia, quò eundum?

IV: Quarta, quis fructus hujus accessus.

V. Quinta, quando?

DE PRIMA.

Accedamus.

INfert *Apostolus exhortationem hanc tanquã conclusionem totius antegreßi sermonis de Sacerdo-*

cerdotio Christi, quem ex officio descripserat, quòd summus sit pontifex acceptus Deo patri: Quod penetraverit cœlos & sanctuarium illud ingressus, perfectè obiverit partes summi sacerdotis, req; ipsa præstiterit sui illius officii, & potentissimæ benevolentiæ complementum, quando descendit in infimas partes terræ, ad similitudinem hominum factus absq; peccato, & in omnibus rebus tentatus, adeò ut nulla possit excogitari miseria, nulla afflictio aut calamitas, quam non promptissima voluntate subierit, internè in anima & spiritu, externè in corpore: ex quo consequitur, nobis infirmis rem esse & fore perpetuò cum eo qui nobis συμπάσχει, & summa misericordia tactus, afficitur sensu infirmitatum nostrarum, quas expiare ac sublevare potest, & efficaciter citra ullum defectum, opus illud divinæ suæ misericordiæ in nobis consumare, modò cum fiducia tempestivè ipsum accesserimus, & professionem nostram tenuerimus.

Phil. 2. 7.

Observa I. Quinam habent accessum ad Deum. II. Qualis sit accessus.

I.

Προσερχώμεθα) Accedamus nos, qui prius ab illo remoti & exclusi eramus, alieni à Repub. Israëlis, & extranei à pactis & promissionibus, spem non habentes, expertes Dei, ut explicat Paulus: Nos, inquit, accedamus, non ha-

Ephes. 2. 12.

bita ratione vel indignitatis vel infirmitatis nostræ: habemus enim per Christum aditum per unum spiritum ad patrem, per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia quæ est per fidem ejus. Ephes. 2. 18. Rom. 5. 2.

Accedere *autem, est in spiritu & veritate, sine ulla hæsitatione, Deum per & propter filium adorare, gratiam ejus fiducialiter accipere, & ex spiritu adoptionis clamare Abba pater, certoq; statuere Christum, suo ipsius sacrificio & oblatione, æternum patrem placasse, victorem mundi, peccati, mortis & inferni esse, nec ullam creaturam, ullum Satanam, ullum infernum, ullum peccatum posse nos separare à dilectione, quæ est in Christo Jesu.* Rom. 8. 15 Rom. 8. 38

Solis itaq; credentibus expeditus ad Deum patet accessus. Quod sponte concepta fiducia ad eum confugiunt in omnibus necessitatibus tanquam filii ad patrem, cum invocant culpam deprecãtur, & postulant omnia delicta sua, præsentia & præterita sibi condonari, suamq; illi rursus obedientiam promittunt ac perpetuò præstant, justificati fide, ait Paulus, pacem habemus ad Deum, &c. Rom. 5. 1.

II. *Qualis autem sit accessus, docet Apostolus infrà, cap. 10. 19. Vbi ait: Quùm igitur fratres, habeamus libertatem ingrediendi in sacrarium per sanguinem Jesu, ea via quam dedicavit*

vit nobis recentem & viventem per velum, hoc est, carnem suam, quumq; habeamus sacerdotem magnum præfectum domui Dei: accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei, puris cordibus à conscientia mala, non deserentes aggregationem nostram.

1. Fit igitur hoc, I. *Quando sentimus & confitemur absq; omni simulatione & coactione, vitia nostra, nosq; ipsi nos accusamus, & coram ipso detestamur, ut omni ex parte reos & pollutos.*

2. *Quando toto animi desiderio in vera fide* Psa. 42. 1. *anhelamus & suspiramus die noctuq; ad Dei gratiam, ipsum solum expetimus, & consolationem ab ipso petimus & expectamus: hacq; ratione, doloribus omnibus superatis, nos, contra Diaboli tela ignita, certa spe & fiducia præsentiæ & auxilii divini, erigimus & confirmamus.*

3. *Quando studium ipsi placendi, bonam voluntatem, cor purum, certumq; propositum ipsius mandata exequendi, pro modulo gratiæ & facultatis, quam nobis concedit ipse, adferimus.*

4. *Quando ipsi, ut membra corpori, perpetuò fide adhæremus & constanter ad finem usq; perseveramus.*

Hic Christus nos benigna manu prehensos, adducit in conspectum patris, causam nostram fideliter agit, virtute sua nos erigit, & voti compotes

potes

potes in omnibus quæ juxta voluntatem illius petimus, efficit. Ioh. 16. 23

Doctrinæ.

1. *Accessus hic monet nos de favore & amicitia, quam habemus cum Deo per Christum, qui suo ipsius sacrificio & oblatione, aditum per semeipsum paravit, cœlosq; penetravit, ut noster sit mediator perpetuus, cujus merito & intercessione, filii Dei facti sunt, qui credunt.* Ioh. 1. 12

2. *Docemur, nos per nullum alium adduci ad Deum, nisi per quem reconciliati sumus Deo, hoc est, per solum Christum. Hic non modò viam monstrat & ianuam aperit, sed & manu ducit, dirigit & sistit nos Deo patri. Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me.* Ioh. 14. 6 Mat. 11. 27

3. *Accessum liberum et licitum habere electos, qui Christum pontificem magnum agnoscunt, et per fidem conscientias pacatas habent.*

4. *Aditum hunc non esse carnalem, nec fieri corporis motu, sed spiritu, mente et voluntate nostra, quæ in obsequium Dei flectenda sunt: Voluntate, inquit Hieronymus, recedunt homines à Deo, non loco, nam ille ubiq; est, mente igitur et voluntate nostra accedimus.*

Secun-

Secunda circumstantia.

Quo animo accedendum est?

MEτὰ παῤῥησίας, *cum fiducia immota & certitudine firma in veritatem promißionis Evangelii constanter & fortiter recumbente, & adversa omnia feliciter superante. Hoc fidei justificantis adjunctum proprium est, quod nos Christo conjungit, & de illius jam reconciliati optima erga nos volūtate confirmat. Per eam igitur fiduciā hoc jus obtinemus, ut cum sancta audacia, freti summi sacerdotis merito & interceßione, intrepido accessu, nihil hæsitantes ad Deum festinemus.*

Hæc audacia accedendi & compellandi Deum, seu πεποίθησις *benignæ acceptionis nostræ & exauditionis precum confirmat nos in pio precandi studio, spem nobis firmam facit de exauditione, inflammat cor nostrum ad petendum omnis generis bona, absorbet omnem nostram indignitatem, removet quavis obstacula, & reddit nos stabiles & constantes contra multiplices illas tentationum procellas, variaq́ impedimenta, quibus viam nobis ad Christum obstruere conatur Satan: dum contra nos experitur omnia artificia sua, intēdit omnes ingenii nervos, ut nos ab hac,* ad Chri-

Rom. 5. & 8. Ephes. 3. Gal. 4.

ad Christum ducente via, deterreat: Interdum nostram exaggerando indignitatem & scelera multiplicia, interdum nebulas offundendo oculis fidei nostræ, interdum amplificando severum Dei judiciũ: nos videlicet ex illo numero nõ esse, quos exaudire Deus velit, & quæ hujus generis sunt, tentationes infinitæ, quæ pios sæpius & durius exercent, eorumq; animos admirabiliter fatigant.

Hæc Diaboli tela ignita, scuto fidei excipienda sunt & exstinguenda, firmeq; statuendum Deum jam nobis esse εὐπρόσοδον, hoc est, accessu facilem, nec ullam viam, aut ullum iter ad ejus benignitatem interclusum esse: sed habere nos libertatem adeundi cum fiducia ad Majestatem ejus divinam, nec esse cur ejus præsentiam formidemus, ut reus vultum judicis horret; Verum potius ut liberi parentes accedere solent, à quibus se diligi, aditumq; suum exoptari intelligunt.

Ephe. 6. 16

Quisquis igitur vera fide ad Deum accedit, re ipsa testatur sibi persuasum esse, in unius solius Dei ope, virtute, benevolentia solidè conquiescendum. Et placet Deo hæc humilitas & constantia, qua promißionibus ejus fides adhibetur, & ad eum in adversis, ceu sacram anchoram, unicè confugitur.

1. Notandum est testimonium de certitudine gratiæ, vitæ ac salutis piorum, quorum fides non fallitur, cum sit παῤῥησία indubitata fiducia, plenißimaq; persuasio applicans sibi Christi merita, & statuens nunquam irritas fore Dei promißiones, sed certo tempore compleri. Ideoq; alibi πληροφορία & ὑπόστασις dicitur, cui velut firmißimæ petræ fideles insistunt, ut dicitur. Omnia quæcunq; orantes petitis credite, quia accipietis, & evenient vobis. Quod contra illos observandum erit, qui docent, non debere hominem certa fiducia acquiescere in Christi merito, neq; certò statuere se in gratia esse, sed dubitare perpetuò, utrum habeat Deum propitium, utrum sit justificatus, sitq; donatus Spiritu sancto & remißione peccatorum: Cum Apostolus hoc loco secus doceat, & D. Jacobus, Qui hæsitat, inquit, similis est fluctui maris, qui ventis agitur & impetu rapitur, neq; existimet homo ille, se quidquam accepturum à Deo. Interim tamen cum timore & tremore salutem nostram operari nos decet, ut alibi suadet Apostolus.

Rom. 4. 21
Hæb. 11. 1
Marc. 11. 24.
Iacob. 1. 6
Phil. 2. 12

2. Perseverantiam in fide necessariam esse, non enim qui cœpit credere, rursumq; deficit, salvatur: sed qui cum παῤῥησίᾳ ad finem usq;, instar mi-

litis in statione contra hostem fixo pede persisten- tis, perseverat.

Matt. 14. 22. & 24 13.

Falluntur igitur qui Deum quidem initiò accedunt, mox tamen, si non continuò exaudiuntur, recedunt: nec perseveranter instant fidendo, petendo, sperando sicut adolescens Matth. 19. 22. Quidam ex primatibus Ioh 12. 42. Contrà Cananæa accessit, & sæpius, quamvis passa repulsam, clamat, urget, instat, tandemq; fidei suæ constantiâ Christum expugnando plus obtinuit quam petiit. Talis fiducia in Jobo fuit, dicente: Si occiderit me, sperabo in eum. In Jona, qui in ventre Ceti cum fiducia oravit, clamavit, speravit Esa. 49. 24. Quis speravit in Domino & confusus est? Ego Dominus super quem non confundentur. Spes autem non confundit. Rom. 5. 5.

Mat. 15. 21

Iob. 13. 15

Ion. 2. 3.

Tertia Circumstantia.

Ad quem?

Ad Thronum gratiæ, hoc est, Christum Jesum mediatorem nostrum, quem proposuit Deus ἱλαστήριον seu placamentum per fidem in sanguine ejus ad ostensionem justiciæ suæ, &c.

Rom. 3. 25

Dicitur autem Christus nobis reconciliatus & propitius, κατὰ διαφορὰν thronus gratiæ, ut discernatur à severæ justiciæ throno. Estq;

allusio ad propitiatorium veteris testamenti, quod Christi Mediatoris & verè ἱλαςηρίȣ typus fuit, cujus luculenta hîc tradi potest descriptio & explicatio, ut genuina hujus loci sententia clarior reddatur.

Sicut enim olim precaturi, vertebant se versus tabernaculum & arcam fœderis, cui Chaphoreth seû aureum operculum inter duos Cherubim, superimpositum erat, ad quod Deus se exauditurum invocantes, et responsa daturum promiserat, sicut testatur ipse Dominus Exo. 25. 22. Loquar tecum de operculo quod est inter duos Cherubim. Et Levit. 16. 2. In nebula apparebo super Cherubim. Vnde liquet propiciatorium hoc fuisse velùti solium, thronus ac sedes Dei, non quod ei inclusus aut localiter alligatus fuit: sed quod præsentiam suam ibi declarabat; ac propterea oraturi dirigebant ad locum illum preces. Ita vult Apostolus ut oculos cordis nostri convertamus ad verum illud et unicum propiciatorium nostrum, Jesum Christum: Qui sacrificio sui corporis, Deum nobis propicium reddidit, gratiam conciliavit, et perpetuò paratus est exaudire preces nostras ex fide profectas, quemadmodum olim exaudivit preces populi sui, residens inter duos Cherubim in operculo arcæ fœderis.

Et propterea pecudum sanguine, quæ fœderis illius confirmandi causâ mactabantur, illud ipsum sanciri voluit, ut eo coaspersus populus purificaretur corporaliter, tanquam cives istius testamenti et politiæ, et simul commonefieret de novo spirituali et æterno testamento, quod per mortem et sanguinem filii sui aliquando confirmaturus esset. Siquidem ipse propiciatio pro peccatis nostris, etc. 1.Ioh. 2. 2

Deinde erat hæc arca ex lignis Sittim seu Cedrinis fabricata, intus et foris auro vestita purißimo, quod etiam Christum adumbrabat, qui (ut arca ex diversis materiis, ligno et auro) humanitate et divinitate constabat in una persona. Et sicut ligna Sittim odore suavia, et tempore æterna sunt, nec unquam cariem vel corruptionem admittentia: Ita gratiosum illud incorruptum Christi corpus, æternum erat mansurum, etsi propter humani generis peccata in se derivata, veluti piceum lignum à furore Domini, qui ignis consumens est, devoraretur: à divina tamen natura τοῦ λόγου, tanquam auro purißimo, quod neq; igne consumitur, nec in substantia diminuitur, quasi obductum, sustentabatur et conservabatur.

In arca porrò servabatur urna aurea, continens Manna, Virga Aaronis quæ germinaverat et tabula utraq; decalogi.

Manna adumbrabat verum & cœleste illud Manna, seu significabat Christum esse panem vitæ, quo ad salutem æternã aluntur & vivificantur animæ piorum, de quo ipse Christus, optimus verborum divinorum interpres loquitur. Patres vestri comederunt Manna in deserto & mortui sunt, caro mea, quam pro mundi vita dabo, verus est cibus, &c.

Ioh. 6. 49

Virga Aaronis germinans & producens amygdala: Evangelii suavitatem, & Christi mediatoris, super mortem & Diabolum, victoriam: qui tametsi exaruisse ad tempus visus sit, iterum tamen glorificato corpore floruit & florebit in omnem æternitatem.

Quod verò in hac arca fœderis, tabulæ Decalogi asservabantur, significabat Christum Legem impleturum, maledictionem sublaturum, & deleturum (ut Paulus explicat) Chirographum quod contra nos erat, inq; eo legem spiritus vitæ & omnes sapientiæ thesauros reconditos fore.

Colos. 2. 14.

Operculum seu propiciatorium, tegens arcæ superficiem inter duos Cherubim, totus Christus est, qui inter Deum & homines medius propiciator intervenit, tegens & abscondens electos ab ira Dei, quo placato, nulla amplius condemnatio iis est qui sunt in ipso. Neq; solùm nos contra peccatorum & ærumnarum molem, ne funditus pereamus, sustentat: Verum etiam per virtutes in-

Rom. 8. 1

cor-

corporeas contra rabiem diabolorum, mundi & omnium hostium, sub tegumento alarum suarum quiescentes paternè tegit, potenter defendit, & gloriosè liberat. Psal. 91. Esa. 43.

Hic est ille thronus gratiæ, de quo loquitur hoc loco Apostolus, in quo Deus testimonia suæ præsentiæ edidit, & gratiosæ dilectionis significationem ostendit, ad quam qui confugerit, à peccatis, morte & damnatione liber erit.

Doctrinæ.

I. Illos suâ culpâ, non occultâ aliquâ Dei reprobatione damnari, qui ad hunc thronum gratiæ accedere negligunt & satisfactionem Christi vivâ & verâ fiduciâ non apprehendunt, neq; iis utuntur organis & mediis, quæ ad hanc πληροφορίαν & fidẽ cõsequendam ordinavit Deus, aut aliis modis semen verbi Dei suffocant, & operationem Spiritus sancti ipsi in semetipsis impediunt Ac propterea mirum non est illos fructu universalis promißionis orbari & plenißimæ satisfactionis Christi non reddi participes. Ioh. 3. 18 Marc. 16. 16.

II. Christus solus nostrum est ἱλαστήριον & thronus gratiæ. Ergo non legalis judæorum justicia, non pontificiorum indulgentiæ, nec sanctorum intercessio, non mortua elementa

cuiquam proderint, cum nulla in iis ostendatur promissio, spes, aut reconciliationis cum Deo ratio.

III. Patet etiam hinc Christum sacerdotale officium suum non planè deposuisse, sed ejus præcipuis partibus etiamnum ad dexteram Dei in salutem Ecclesiæ perfungi, & advocatum nostrum agere, ratione æterni & infiniti meriti, semelq; peracti, passionis & mortis in cruce, sacrificii.

IV. Sicut peccata studiosissimè cavenda sunt, ne unquam à nobis committantur: Ita si ex naturæ infirmitate commissa fuerint, monemur non propterea desperandū, de gratia & favore, sed partā & paratam esse misericordiam per thronum gratiæ Christi, omnibus ad ipsum confugientibus.

Rom. 3. & 5.

Quarta circumstantia.

Rationem à causa finali, seu fructum hujus fiducialis accessus addit, hunc nempe: Ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus. Cujus hic sensus est: Ideo nos cum fiducia contendamus festinanter Christum accedere: ut qui hactenus extra hunc pontificem eramus, alieni ab ipsius gratia, nunc per eundem restituti consequamur misericordiam, hoc est, favorem Dei, remissionem pecca-

cato-

catorum gratuitam, sanctificationem, renovationem, adeoq; omnia ad salutem æternam necessaria.

Ideo enim mediator hic noster, semetipsum victimam obtulit in cruce: Ideo inflammatam in nos iram patris, sanguine suo restinxit, & obedientiâ suâ perfectißimâ ejus justiciæ satisfecit, pœnamq; quam per inobedientiam nostram meriti eramus, in se derivavit: Ideo etiam munus regis & sacerdotis pro nobis adhuc exercet, ut nos Deo patri per ipsum reconciliati, misericordiam hanc inveniamus, ab eo diligamur, & membra corporis ipsius facti, cohæredes regni cœlestis efficiamur. Sedet itaq; Christus in throno non ut judex severus, qui vitam nostram & merita exactè pendat, sed ut veniæ in cruce partæ & impetratæ fructum in nos conferat, suamq; misericordiam nostræ opponat miseriæ.

Gratiam invenire dicimur & dona per gratiam, quando gratuitam Dei patris erga nos benevolentiam experimur, qua adductus in Christo nos gubernat, fovet, sustentat, & gratiam persistendi in bono proposito largitur.

Hæc igitur gratia, perennis veluti fons est beneficentiæ illius, ex quo omnis generis dona & bona, erga eos præcipuè, qui ipsum timent & reverentur, emanant. Quorum enim miseretur, iis suc-

Psal. 115.
Jere. 20.

iis succurrit in necessitatibus, & malis depulsis, bona, utilia & necessaria tribuit.

Docemur.

Rom. 8.

Quòd mors quam passus est Christus, sacrificium quod obtulit, maledictio quam subiit, obedientia quam præstitit, apud divinū tribunal nos absolvit & liberat, ipso vadem pro nobis se sistente.

Ad oportunum auxilium.

Quinta & ultima circumstantia de duobus nos monet:

I. *Deum suis laborantibus tempestivè adesse &* εὔκαιρον βοήθειαν *illis ferre, h. e. tempestivum, congruum & necessarium auxilium, contra Satanæ tentationes, carnis illecebras, mundi vanitates, hostium furiosas machinationes, & similia, ne iis succumbant. Psal. 9. 10. Et erit Jehôva exaltatio oppresso, exaltatio oportunis temporibus in tribulatione.*

II: *Monet nos de salutis tempore oportuno, quo nos accedere decet, dum scilicet adhuc patet nobis janua misericordiæ, dumq; præ foribus est Christus.*

I. *Vnde docemur: Christi semper paratissimam esse voluntatem, omnibus debito tempore accedenti-*

dentibus, ad oportunũ auxilium in mediis dolori-
bus & infirmitatibus exhibendum, quando præ-
sertim premimur laqueis peccati & iræ Dei, qui-
bus in perditionem fermè præsentißimam (nisi
virtute hujus mediatoris suffulti) miserè detur-
baremur.

II. Admonemur Deo modum & tempus nobis
auxiliandi non esse præscribendum: Sed omnia
ipsius benignæ voluntati patienter subjicienda.
Ipse enim modum novit & media, quæ, nos nec
cogitare nec optare queamus: Ipse cùm oportu-
num fuerit, nos eripiet, ereptos liberabit, & col-
locabit in illo fastigio, quo nulla vis pertingere,
nulla arma hostilia penetrare, nulla violentia
perrumpere poßit, ubi perpetuò adversus omnem
sævitiam tuti quiescamus.

III. Quamvis thronus gratiæ omnib. semper pateat,
iustum tamen & cõmmodũ tempus sedulò obser-
vandũ esse: tempus videlicet visitationis nostræ, quo
ad cœnam illã agni magnã, ad nuptias filii regis,
ad thronum infinitæ gratiæ vocati sumus, ne nobis
accidat quod virginib. somnolentis, quib. intẽpe-
stivè accedentibus, janua salutis occlusa erat. Lo-
quitur de hac oportunitate Esa. 46. Paul. 2. Cor.
6. 2. In tẽpore accepto exaudivi te, et in die salutis
succurri tibi: Ecce nunc tẽpus acceptũ, &c. Hoc qui
neglexerit, omnẽ sibi salutis occasionẽ præcisã, om-
nẽq; ad gratiæ thronũ aditũ præclusũ, experietur.

Matth. 25

Hinc

Hinc Oecumenius Græcus interpres super hunc locum ait: Rectè dicit Apostolus Oportunum auxilium, Si enim nunc accedis, gratiam accipies & misericordiam: εὔκαιρος enim πρόσοδος, conveniens accessus est, & petitio auxilii tempestiva, dum sedet ut Rex clemens gratiam impertiens. in judicio verò accessus erit planè importunus, ἄκαιρος πρόσοδος, tunc enim non præstabit auxilium ex gratia, sicut nunc: sed erit horribilis quædam expectatio judicii & ignis æmulatio.

Humiliemus proinde nos animas nostras: In tempore accedamus & vivâ fiduciâ coram throno gratiæ procidamus, ut misericordiam ejus & gratiam ad oportunum auxilium consequamur. pro quo ipsi vicissim corde & ore gratias nuncupabimus in hac & vita futura perpetuas, Amen.

CON-

CONCIO TERTIÆ DIEI.

Textus Joh. 12. 35.

ADhuc Modicum & Lumen vobiſcum eſt, Ambulate in Lumine dum Lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.

Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus eſt Jeſus, & digreſſus abſcondit ſe ab eis.

VTrumq́, diximus biduo ſuperiore : & effundendam judicis juſti iram in eos, qui obſtinatè & impœnitenter, contemptis univerſis ſalutis mediis, in ipſum inſurgunt, ejusq́, patientiam, continuatione peccandi perrumpunt : Et *clementiæ divinæ aditum iis patere, qui indignitatem ſuam agnoſcentes,*

ſeſe

sese ad pedes Majestatis ejus projiciunt, nec aliunde salutem, quam ab ejus solius gratia petunt in nomine propiciatoris unici Jesu Christi fiducialiter implorata & impetrata, idq; tempore ab ipso præordinato. Verùm ecquod illud tempus sit, hodierna concione ostendit Dei filius, hoc nimirum: quo nobis in extremo & obscuro seculo versantibus, gratiam suam benignè & largè exhibet, nosq; in salutiferæ doctrinæ Evangelii lucem, ratione tam admirabili ac gloriosa educit, suæq; misericordiæ thesaurum per ejusdem præconium, humano generi offert. Quapropter εὐκαιρίαν hanc vult nos studiosè observare, & ejus momenta singula solicitè computare, quaq; fieri potest cura & diligentia id agere maximè, ne hanc salutis occasionem frustrà effluere aut præterlabi sinamus, aut gratiam Dei tàm ineffabilem, tam abundantem, tam utilem & necessariam, frustrâ accepisse videamur: Quin potius dum lux illa disideratissima gratiæ cœlestis affulget, abjectis tenebrarum operibus, & abnegata impietate, atq; mundanis cupiditatibus, compositè ambulemus, ac piè justeq; vivamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem & illustrem adventum gloriæ magni illius Dei ac servatoris nostri Iesu Christi.

Tit. 2. 12

Loci

Loci tres.

I. Habet Christi præmonitionem ad Pharisæos: tempus adhuc superesse pusillum, quo cum ipsis Lux cœlestis mansura sit.

II. Adhortationem, ut, dum præsens sit Lux, ejusq; datur usura, in ea dignè ambulent.

III. Causas seu rationes annectit, quibus ad hoc præstandum moveri debent, quotquot gratiæ hujus cœlestis consortes esse desiderant.

DE PRIMO.

Adhuc modicum, & Lux vobiscum est.

Hujus partis duo constituemus membra:

I. Quid modico illo tempore.

II. Quid Lucis nomine significetur.

Per modicum illud, indicat tempus desideratissimum, multis seculis expectatum & à Deo præfinitum, nunc illuxisse, ad hoc ut humanè

mani generis misertus cum eo in gratiam redeat, favorem suum cunctis offerat, & omnia salutis media, quæ olim obscurius adumbrata erant, nunc luculentius & liberalius hominibus monstret per Christum. Etenim ad eorum communionem Deus Judæos, adoptione, fœdere, promißionibus, & cognatione filii sui ornatos primùm & præ aliis invitare voluit, propterea largius & copiosius Evangelii præconinium eis annunciabat.

Rom. 9. 4.

Quapropter ut hanc salutis occasionem, absque dilatione arripiant & eam ad æternum suum commodum convertant, cohortatur gravißimè, ac si dicat: Ego Christus Lux mundi, inter vos nunc versor, volens ad me indiscriminatim omnes benignè recipere, atq; cœlestium bonorum hæredes facere & quidem hac ipsa hora à patre meo ad hoc constituta, ut Lucem Evangelii mei inter vos fulgere sinam, & facem salutis præferendo, ejus adipiscendæ rationem vestræ genti monstrem. Et quoniam me Christum nunc habetis: (quanquam brevi erit tempus, cùm & præsentiam meam & Evangelium vobis auferam, vosq; conjiciamini in tenebras & excœcationem) suadeo, si modo salutis æternæ cupidi estis, ut accommodetis vos huic tempori, quò cœlestis Lux vobis affulget, & ejus commoditate ita utamini, ut quò majora & luculentiora paternæ indulgentiæ argumenta in vos edita videtis, eò

dili-

diligentius caveatis ne gratiam meam manifesta rebellione profanetis, & cœcitati vestræ nativæ relinquamini.

Hæc ut nos ad usum transferamus, sequens documentum observandum:

Quemadmodum omnibus rebus & institutis humanis certas ratasq; esse oportunitates omnibus in confeßo est, & universa quæ sub sole sunt, fluunt & volvuntur conversione perpetua, teste Salomone: Ita quoq; salutis negotium, statam, determinatam & à Deo prædordinatam occasionem, καιρος & definitum temporis habet articulum, ad suam semper periodum tendentem. Hanc si quis suo neglectu oscitanter præterlabi siverit, frustrà eam postea requiret, incassumq; sectabitur exindè, quod suo antea tempore, utiliter & sine molestia aßequi poterat. Eccl. 3. 1.

Quoniam Deus, nobis etiam, in extremo seculi penè articulo viventibus & in magna cœcitate olim constitutis, & tantùmnon caligine oppreßis succurrit, suæq; doctrinæ lucem, depulsis ignorantiæ tenebris, restituit, ac noster nunc Meßias existens, nobis proponit universa merita sua, è quibus novam vitam, splendorem, lætitiam, salutem concipere poßimus: Tum etiam ejus præsentiam in ærumnis & ipsa morte sentimus, Advigilare convenit, ne hanc tam eximiam gra- Psal. 91. 14

tiam negligamus, aut Deo occasionem, eam à nobis auferendi, vel per nostram defectionem, vel per abusum, contemptum aut ingratitudinem, præbeamus: Sed obviis ulnis eam amplectamur, & intra casti animi complexum per veram fidem conservare studeamus: Ne & nos postea, tanto bono privati, Satanæ imposturis, & falsorum doctorum vanis commentis permittamur, in quibus nihil prorsus opis aut solatii invenitur, atque ita horrendis tenebris implicati lucem hanc frustrà requiramus, eò quod non reverenter debito tempore illam exceperimus. Evangelii enim prædicatio, teste Esaia, instar pluviæ aut imbris transeuntis est, nec redit ad eos, qui semel sibi oblatam excluserunt.

Esa. 55. 10

II. Et lumen vobiscum.

Appellatione lucis ipse Christus in scriptura sæpius notatur, idq; duabus de causis.

1. Ratione essentiæ suæ, quod per se & sua natura, origo, causa & fons est omnis lucis & splendoris, lumen de lumine, & ἀπαύγασμα τῆς δόξης æterni patris: Deus lux est, ait Johannes, & tenebræ in illo non sunt ullæ. Hac enim voce exprimere voluit puritatem naturæ divinæ, & absolutam omnium in Deo virtutum perfectionem. 2. ἐνεργείας seu officii ratione, quod

Hæb. 1. 3.
1. Ioh. 1. 5.

quod suo in mundum adventu, illuminet omnem hominem venientem in mundum. Est enim talis Lux, quæ non intra semetipsum sese contineat, sed efficacia sua ad nos illustrandos adeoq; totum genus humanum irradiandum sese proferat: Quod in Spiritu prævidens Malachias, illum solem justitiæ vocavit, in cujus alis seu radiis sit sanitas. Intelligimus autem non naturalem aut sensibilem lucem, sed spiritualem, cœlestem, divinam, æternam qua credentes illuminantur:

Ioh. 1. 9.

Mala. 4. 2

I. Contra tenebras ignorantiæ: dum revelatione verbi & illustratione Spiritus sancti ad veram agnitionem mentes irradiantur.

2. Contra peccati, iræ Dei & miseriarum tenebras: dum renovatio & nova lux in cordibus accenditur, & inchoatur in hac vita conformitas aliqua mentis & voluntatis cum ipso, in electis quos transfert è tenebris in admirandam lucem, suamq; faciem super ipsos illuminat.

I. Pet. 2. 9.

Num. 6. 26.

3. Contra tenebras exteriores, mortis & damnationis, quando luce sua æterna illustrabit eosdem ad sortem sanctorum in lumine.

Colos 1. 12

Similitudinis autem ratio hæc est:

Quẽadmodũ Sol unus est, & toti orbi illustrãdo sufficit: Ita Christus unus & solus, lux est, qui

 suo

suo in mundum adventu totum genus humanum, publico Evangelii fulgore, illuminat.

2. *Sol spontè oritur, neq; in eo educendo aliquid potest hominum sive autoritas sive industria:* Iob. 3. 16 *Ita Christus nobis à patre ex gratuita misericordia datus est.*

3. *Sol non ubiq; & eodem tempore omnibus exoritur, sed his prius illis posterius lumen suum spargit: Sic Sol justiciæ lumen verbi sui diversis locis & temporibus pro beneplacito suo diffundit.*

4. *Vt in densa caligine lux orta, radios quocunq; circumfert, tenebras discutit, & cuncta tam clarè illustrat, ut visu discerni poßint singula, purum ab impuro, nigrum à candido, rectum ab obliquo: Ita mortalium animos in profundam impietatis & errorum noctem demersos, Lux Christi serenitate gratiæ & doctrinæ suæ illuminat, ut Deum rectè videant & agnoscant, falsum à vero, sanctum à profano, sincerum à fucato dijudicent. Cujus rei gratia, eos qui perversè agunt, lucem odisse testatur Christus, ne* Ioh. 3. 20 *arguantur eorum opera. Omnia quæ arguuntur* Ephes. 5. 13 *à lumine manifestantur: Lux enim illud est quod omnia manifestat.*

5. *Lux viam monstrat eunti, quò sine offensione & errore metam propositam contingat: Sic Christus viam salutis monstrando, gressus nostros*

dirigit

dirigit & moderatur, ut inoffenso pede & recto tramite, ad veram patriam vitamq́ perennem, quæ unica piis meta proposita est, per multiplices insidias, fallaciasq́ Satanæ, per infinita discrimina rerum, per medias flammas & mille sequentia tela, pervenire queant, nec pedes ad montes illos caliginosos, de quibus loquitur Jeremias offendant. Ier. 13. 16

6. *Vt in luce calor est, cuncta fovens & vegetans: Sic Luce Christi, non modo illuminantur sed & inflammantur mortua & frigida hominum corda, ut Christi in se vitam vigoremq́ ad salutem persentiscant. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, &c. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Luc. 24. 32. Prov. 30. 5

7. *Vt deniq́ solis ortus, lætam terræ faciem, discußis tenebris, inducit, & ipsos quoq́ homines serenat & exhilarat: Ita etiam fideles ex Christo, luce & salute concepta, læticia & gaudio perfunduntur æterno.*

I. *Hîc adumbratur totius generis humani mœsta conditio, quòd extra Christum planè occœcata sit, adeò ut etiam id quod lumen homini esse oportebat, nempè, mens, ratio, intellectus, in meras tenebras quoad salutis negotium, degeneraverit: Miserè enim aberrat à Deo, neque rectè eum agnoscit aut colit. Tanti mali fons in ipsa natura est, quæ labe primæva infecta, ignara est*

rerum omnium cœlestium, tenebris involuta & penè obruta, neq; ullum sui liberandi modum invenire vnquam potest. Etenim non iis viribus est prædita, vel eâ τῇ ἱκανότητι, ut suo se Marte, è potestate tenebrarum unquam expedire aut subducere poßit.

II. *Docemur filium Dei non solùm illuminare mentes hominum naturaliter, hoc est, autorem esse lucis & intelligentiæ, quæ est in natura humana, sed etiam luce gratiæ, & agnitione veritatis per Evangelii sui prædicationem, facem mentibus nostris præferre, & earum tenebris depulsis, viam ad rectè credendum & piè vivendum demonstrare. Est enim Lux mundi, Stella Jacob, Sol justiciæ, Lumen ad revelationem gentium. Quotquot igitur in congenitis tenebris perire nolunt, hac luce illuminari necesse habent.*

Ioh. 8. 12. Num. 24. 17. Mal. 4. 2. Luc 2. 32

III. *Christi doctrina Lux est,* Proverb. 6. 23. *Præceptum lucerna, & lex lux :* Ergo nulla in ea *est obscuritas. Si, (inquit* Paulus, *) velatum est Evangelium, in his qui pereunt, velatum est, in quibus Deus hujus seculi excœcavit mentes infidelibus, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Christi. Qui verò eam tanquam ducem & magistram sequuntur, nusquam impingunt aut labuntur.*

2.Cor. 4. 3

DE

DE SECUNDO.

AMbulate igitur in lumine.) *Præmonitioni statim exhortationem subjungit Christus, ut lucis tempore benè utantur.*

Ambulandi verbo, vitæ consuetudinem, studium, morum exercitationem, & totam vivendi rationẽ significat. Sicut de Enoch loquitur scriptura, quod ambulavit cum Deo, hoc est, vitã coluit vera pietate & sanctitate ornatam & abstractam à societate & contagione impiorũ sui seculi. Tale etiam fuit mandatum Domini ad Abrahamum: Ambula coram me & esto perfectus. Gen. 5.22 Gen. 17.1

In Christi igitur lumine ãbulare dicuntur, qui relicta congenita mentis obscuritate, ductum verbi divini, quod pedibus lucerna est, sequuntur, & tenebrarum operibus abjectis, compositè tanquam in die ambulant, lucentes in medio nationis pravæ & tortuosæ, tanquam luminaria in mundo. Psal. 119. 105, Rom. 13.12 Phil. 2.15

Dum lucem habetis.) *Hoc est: Dum me Christum Dei filium vnicum salutis autorem præsentem cernitis, & lumen doctrinæ cœlestis, per quod Deus vobis nunc aures vellicat, & ad amplectendam gratiam solicitat, vobis affulget. Quod nisi feceritis, scitote vos eam exinde frustrà quæsituros, ubi semel ablata fuerit.*

Monemur igitur: ut zelo & amore firmo & flagrante, Christum, dum præsens est, amplectamur, & in semitis justiciæ ambulemus, quærentes quam diligentißimè in omnes benè operandi occasiones. Contrà fugientes quidquid nos ab hoc lumine Christi avertere vel impedire potest.

Et quia magna est infirmitas naturæ humanæ & variæ Diaboli insidiæ, conantis nos abducere à recto pietatis studio: Petamus aßiduè ne nos Dei gratia deserat, neve lux & agnitio doctrinæ cœlestis à Spiritu sancto accensa in mentibus nostris, unquam exstinguatur, & in pristinam & congenitam cœcitatem, denuò relabamur.

DE TERTIO

Rationes exhortationi statim annectit, quarum prima hæc est:

Ne tenebræ vos comprehendant.

Describit his verbis conditionem illorum tristem, qui Christum Lucem deserunt: quòd rursus relapsuri sint in tenebras & excœcationem, ne unquam videant salutis viam.

Vt enim merso sole tenebræ faciem terræ

occupant & Chaos ingruit horridum eodem oriente, lux rebus humanis infertur: Sic Christo doctrinæ suæ radios spargente, illustrantur obscura mentis humanæ. Sed cùm Evangelii sui præconium justo judicio conticescere jubet, horrendæ tenebræ exoriuntur, quibus comprehenduntur homines & conjiciuntur in summas angustias, in quibus foris, non tantùm nihil apparet consolationis, opis, consilii vel auxilii: Sed & intus omnia plena fiunt metus, terroris, consternationis, periculi cum quibus etiam mors ipsa semper ob oculos versatur.

Tenebrarum igitur nomine, omnem consilii, conatuum, actionum à vera & plena Dei noticia, atque à recta pietatis & virtutum disciplina alienum usum, & consequentem ex ea re pernitiem & periculum, exprimit: Et complectitur hæc præcipuè:

1. Ignorantiam veri Dei & salutis: ut rerum omnium divinarum incerti & ignari, quo se vertant, nesciant mortales.
2. Pravitatem naturæ humanæ, quæ quanta quamq; profunda est, tenebræ est & caligo.
3. Caliginem vitiorum & superstitionum.
4. Angustias inextricabiles & gravissima quæq; pericula perpetuò duratura.
5. Vmbrã mortis æternæ, quæ hominum oculis in

Esa. 9. 2.

lis in hora mortis caliginem & tetras obscuritates offundit.

In summa, contrarium humanæ felicitati in hac vita, & ad æternam miseriam, in præceps inclinatum statum, tenebras vocat Christus, quas sibi accersunt impii, quando relicto sole justiciæ & luce verbi ejus, carnis & mundi consilia sequuntur, & semetipsos in tantas miserias adducunt, in quibus tandem eos perire necesse est.

Reproborum hic tristis observanda conditio, quibus etsi lux verbi cœlestis interdum affulget, ut sint inexcusabiles: Non tamen perpetuò propter illorum contemptum apud ipsos manebit, sed auferetur ab eis, eò quod pessimis studiis occupati, tenebras luci præferunt. Testantur hoc exempla totius fere mundi: præcipuè verò gentis Judaicæ, Græcorum, Romanorum, & omnium quibus lux olim affulsit: Nunc, ea sublata in tenebris versantur densissimis. Hinc Apostolus Petrus edicit, satius esse ejusmodi homines, non cognovisse viam veritatis, quàm cognitá eâ, regredi à sancta doctrina ipsis tradita & rursus se inquinamentis hujus mundi implicare: Quorum conditio ultima, pejor est priore.

Ioh. 3. 19

2. Pet. 2. 21.

II.

Secunda ratio: Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadit, caret enim luce & cognitione

recti

recti in consiliis & actionibus, nec videt veritatem doctrinæ salutaris, imò ne proprios actus intelligit. Ideò inordinatè & cum errore incedit, ignarus viæ salutis, neq; recto cursu fertur ad metam, sed errore involutus inextricabili, ad interitum tendit perpetuum. Justorum semita est similis luci, quam spargit aurora usq; ad meridiem, via impiorum est similis nocti, quæ est plena tenebrarum, & nesciunt in quid impacturi sunt.

Esa.6.10
2.Cor.3.5
Prov.4.18

Præsentem ergo nos gratiam Dei, gratis animis recipiamus, ne in similes angustias conjiciamur, & à via veritatis aberremus. Et rogandus est lucis autor, ne unquam lumen spirituale à nobis auferat: Quò ipsum perpetuò imitari & ejus sequi vestigia poßimus.

III. Tertia ratio à temporis commoditate: dum lucem habetis credite in lucem.

Repetit quod antea dixit, ut dum splendorem lucis æternæ præsentem conspiciunt, et cum eo conversantur, ejus verbum audiunt, & opera divina contemplantur, fidem iis adhibeant & permittant se ab illo illustrari, vitamq; ad ejusdem lucis splendorem conforment: Ita futurum spondet, ut lucis præsentia ipsis adeò sit futura salutaris, ut è regno tenebrarum ereptos

ptos transferat in beatam illam lucem veræ agnitionis Dei. Resultat hic eadem doctrina quæ prius.

1\. Habere singulas gentes & singulos homines suum tempus, quo lucem doctrinæ suæ Deus illis revelat. Ideò etiam Apostoli non temerè per orbem discurrebant; Sed ductum Spiritus sancti sequentes, nunc huc nunc illuc migrarunt, & modò his, modò illis verbum gratiæ prædicarunt. *Acto.16.6*

2\. Quamdiu tempus gratiæ & salutis illucescit, nosq; in verbo alloquitur Deus & merita filii sui offert, tamdiu lucem nobiscum esse sciamus: tunc nos peccatorum sensu tangi, tunc nos errorum pœnitere, tunc Christum quærere & ad illum festinare, tunc verbum ejus toto animo admittere & vitæ pravitatem corrigere oportet. Si verò hoc salutis curriculum frustrà emensi fuerimus, nulla spes salutis reliqua erit. Occlusa enim post hanc vitam gratiæ janua, nunquam amplius recluditur, neque ullus ad lucem supernam patet ascensus. *Mat.25.10* *Luc.16.26*

Ut filii Lucis sitis.

IV. Quarta ratio à dignitate eorum, qui lucem sequuntur, quòd scilicet credendo lucis filii efficiantur, atq; per imitationem & dilectionem Chri-

sti, jus

sti, jus liberorū consequantur, dū verbo & spiritu eos in familiam Dei cooptat, & cives Ecclesiæ proprios & perpetuos cohæredes regni sui cœlestis efficit : Qua nulla in mundo dignitas major dici vel esse potest. Ephes. 1. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.

Ioh. 1. 16
Rom. 8. 16
Gal. 3. 26

Felicem itaq; statum eorum qui lucem sequuntur hîc depingit : Liberorum videlicet sortem talium esse : Nam illorum omnium pater Deus est, Christus frater, hæreditas una, sors omnium una : contrà, servilem esse eorum conditionem, quotquot tenebrarum potestate constricti, Satanæ servitio mancipantur, à quo etiam mercedem suam posteà reportabunt Rom. 6. 23.

Et quemadmodum Dominus olim in Ægypto distinxit inter filios Israëlis & inter Ægyptios, dum illis lux serena fulgebat in omni loco ubi versabantur : Hi verò tenebris horrendis immersi palpabant, nescii quò se verterent : Ita omnibus temporibus inter suos filios, qui ipsum sequuntur, & infelices tenebrarum servos distinguit. Nam quo magis isti tenebras sibiipsis & aliis, peccatis & figmentis suis offundunt, eò clarius Sol justiciæ Lucis filiis exoritur, & eos illuminatos ducit Spiritu suo in omnem veritatem, donec in possessionem æternæ hæreditatis introduxerit.

Exo. 10. 21
Ioh. 16. 13

Monen-

Monentur electi ut dignitatis & adoptionis suæ memores, operam dent, ne commercium habeant cum perniciosis tenebrarum operibus, sed pro virili ea arguant & fugiant, seq́ Spiritui sancto gubernandos præbeant, agnoscentes Dei bonitatem plus quam paternam, qui etsi major hominum pars lumine relicto, exorbitet: propter illorum tamen defectum & contumaciam, lucem à suis filiis non aufert.

Hæc loquutus Jesus, abiit & abscondit se ab eis.

Finita exhortatione ab ingratis judæis statim discedens Christus, suam eis salutarem præsentiam subtrahit: Volens tanquam visibili signo ostendere hoc quod dixit, brevi fore ut lucem veritatis cœlestis auferret, *& successuram in ejus locum cœcitatem, ignorantiam, errorum tenebras, mortem & damnationem.*

Quod sanè & nos officii admonebit, quibus illuminandis venit Christus, jamq́ dudum ab errore eduxit, ut quàm ingens & ineffabile beneficium sit in luce Christi ambulare, diligenter videamus, & caveamus ne impietate & atrocitate peccatorum, conscientias vastemus, gratia &

Luce

luce hac indignos nos reddamus, Deoq; occasionem præbeamus, regnum lucis suæ auferendi à nobis & trāsferendi ad alias nationes, quæ fructus dignos ferant.

Quocirca dum lucem habemus, tanquam filii lucis in luce ambulemus, attendentes firmißimo sermoni prophetico, ceu lucernæ lucenti in obscuro, donec illucescat Dominus, & Lucifer oriatur in cordibus nostris, & sic demùm in cœlo, luce nunquam interiturâ à Φωστῆρι nostro Iesu Christo donati, vitæ cum ipso sempiternæ consortes efficiamur, ipsi cum Patre & Spiritu sancto, honor, laus & gloria in æterna secula, Amen.

2. Pet. 1. 19.

PRE-

PRECES ET LECTIO-
nes singulis diebus
recitandæ.

Prima Die.

Epistolæ loco : Textus Psalmi 7. Deus justus Judex, *ad finem usq;.*

Evangelium Lucæ 3. *vers.* 3. Venit in omnem regionem , &c. *finis:* in ignem abjicietur.

Precatio.

O Du alsomectigste Gud/wi arme Syndere bekiende dig at verre en rætferdig Dommere / som icke aleniste haffuer mact / Men megen Ræt/ at straffe oc hiemsøge oss/ for vore mangfoldige Synder oc store Misgierninger / met

huilcke

huilcke wi haffuer gruelig for-
tørnet dig. Oc efftérdi wi aff
din trusel/aff tegen i Himmelen
oc Jorden/formercke din grum-
me Vrede at vere optend offuer
oss/ dit Suerd at vere allerede
dragit / din Bue at vere spend
oc dødelig Skud ad vere berid-
de/til at forderffue oss allesam-
men timelig oc euig / vden wi
snarlig vdi en sand pænitentz/
omuender oss til dig. Derfor
bede wi din grundløse Barm-
hiertighed / med angerfulde
Hierter / for Jesu Christi din
kiere Søns skyld / handle icke
met oss effter din strenge rætfer-
dighed / oc effter vore slemme
synders fortieniste / huilcke wi
nu aluorlige bekiende oc inder-

 lige

lige fortryde / men naadeligen
forbarme dig offuer oſſ / oc i din
Vrede tenck paa din Faderlige
Miſkund / Affuent fra oſſ al
fortiente ſtraff / paa det wi icke
haſtelig ſkulle i ſaadan din
Grumhed ødeleggis / mẽ at wi
mue ſee oc kiende din Faderlige
hielp oc biſtand / ſaa ville wi
altid tacke oc priſe dig en naa-
dig Gud oc Fader / vid din kie-
re Søn Jeſum Chriſtum vor
HERRE / ſom med dig leff-
uer oc regnerer en ſand Gud
fra euighed oc til euig-
hed / Amen.

Secun-

Secunda Die.

Epist. Hebr. 4. Accedamus, cum fiducia, &c.

Evang. Iohan 6. *vers.* 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, &c. *finis*: Et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Precatio.

O Du Guds enbaarne Søn/ milde Jesu Christe/ som est vor euige Forligelse/ oc er bleffuen it fuldkommen offer for alle Verdens Synder paa kaarsens Galge/ wi bede dig/ for din hellige beske pine oc døds skyld/ forbarme dig offuer oss/ oc hielp oss/ at wi frimodeligen/ i en fast stadig

Tro i denne salige Naadis tid/ kunde fly fra din retfærdige oc strége Domstoel/indtil dig vor rætte Naade throne oc eniste salig giørrere: Vær du vor Talsmand oc Forbedere hoss din kiere Himmelske Fader/oc formilde straffen/som oss retfærdeligē offuerhenger. Afflæt met dit røde Rosens Blod alle vore Synder/ giør oss delactig i din retfærdighed/Bønhør oss i all vor nød/oc med din hellig Aand styre oc regiere oss/ at wi altid her effter fryete oc tiene dig/bedre vort syndige leffnit / bliffue fast i Troen/Haabet/Kierlighed oc Taalmodighed/oc altid giøre det som dig er behageligt/ oc siden bliffue hoss dig euige sali-

salige / du som med din Fader oc hellig Aand / lessuer oc regnerer en sand Gud i euighed / Amen.

Tertia Die.

Epist Ephes. 5. vers. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis. finis: quoniam dies mali sunt.

Evang. Joh. 12. vers. 15. Adhuc modicùm lumen, &c. finis: & abscondit se ab eis.

Precatio.

O Euige barmhiertige oc trofaste Gud / som haffuer send din Søn Christum til Verden / at opliuse alle Mennisker: Oplius du i denne dag oc altid / vor blinde oc mørcke sind oc

hierter / at wi kunde retteligen
kiende oc dyrcke dit hellige
Naffn/oc tacke dig for alle dine
Faderlige Velgerninger at du
ſaa naadeligen til denne dag
haffuer ſparet oc beuaret oſſ:
Vi bede dig for din euige God-
heds ſkyld / at du vilde lade dit
ſalige Euangelii lius ſkinne for
oſſ / oc ledſage oſſ til det euige
lius oc klarhed i dit Rige/at wi
icke for vor wtacknēmeligheds
ſkyld falde i blindhed oc det eui-
ge Mørck. O HErre du ſeer oc
kiender al vor anliggendis nød
oc trang/vær du vor beſkermere/
ſkiold oc ſkygge/mod alle vore
Fiender oc Wueñer/lad dē fal-
de i Graffuē/ſom de graffuer til
oſ/oc det onde ſom de tencker om

oss / lad kom̃e offuer deris egit
hoffuit. Beuare din Christẽ Kir-
cke oc Ordens Tienere i retsin-
dig Lærdom / Christeligt leffnit
oc god samdrectighed / holt vn-
der din Guddom̃elig beskyttelse /
vor allernaadigste Herre oc
Konning / Konning Christian /
oc giff hannem it languarende /
lycksaligt oc fredsom̃eligt Re-
gimente. Beskerme hans naa-
dis Førstinde / Droñing Anna
Catharina / begge deris Høy-
baarne Forældre / Blodsfor-
uante oc det gantske Kongelig
Huß / met menige Danmarckis
Rigis Raad / Adel / oc all
anden Offrighed oc Vnder-
saatte / vend naadeligen fra dis-
se Riger oc Lande / al wlycke /
skade

skade oc plage/ Krig / blodstyrt-
ning/ dyrtid/ farlige siugdomme/
oc naadelig stille denne skreckelig
Pestilentze/ som nu mangesteds
regierer hoss oss/ paa det wi icke
skulde jammerlige (som wi vel
fortient haffuer) omkomme/ men
spare oss for dit hellige Naffns
skyldt / at wi maatte effter din
villie leffue oc tiene dig i hellig-
hed oc retfærdighed/ i alle vore
Liffuis dage/ oc altid tacke/ ære
oc prise dig / vor kiere Gud oc
Fader/ for alle dine gaffuer oc
velgerninger sampt din elskelig
Søn vor eniste Forløssere Je-
sum Christum/ oc vor kiere trø-
stermand den hellig Aand/
her oc i Himmerig/ i
al euighed/ A-
MEN.

blodstyrt
siugdom̃e/
e skreckelig
mangesteds
n det wi icke
som wi vel
nkom̃e/ men
lige Naffns
tte effter din
e dig i hellig
ed/ i alle vore
ltid tacke/ ære
kiere Gud oc
ne gaffuer oc
din elskelig
løssere Je
r kiere try
g Aand/
ig/ i